D. O. M. A.

DE MAGICIS ACTIONIBUS,

Tractatus Singularis.

Philosophico-Theologicus & Historicus.

Existentiam, definitionem, qualitatem, cognitionem, probationem, aversionem, & remedia Magicarum actionum discutiens, exemplis & historiis illustrans, & obstantia breviter resolvens.

Exercitationibus quibusdam in Gymnasio Gedanensi percursus.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. ap. Gedanenses Professore.

DANTISCI,
E Typographejo Viduæ GEORGII RHETII.
Anno à partu Virginis Matris
M. DC. XXXXIX.

144. Fa

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimisq;

VIRIS,

Dn. ROTGERO zum Bergen/

Regio Secretario, Patritio Rigensi, & in Brasnecken Hereditario, &c.

Dn. HENRICO MOLLERO,

Abbatiæ ac Districtus Olivensis Advocato & Judici.

Dnn. Patronis ac amicis singulariter dilectis, observandis,

S. & in rebus Prosperitatem.

QVi momenta Naturæ rerum, Nobilissimi, Amplissimiq; Viri, Amici observandi, nexusq; causarum latentium, æternaq; mente destinatarum, curatiùs indagant, & nodos offendunt, qvibus se impediant, sæpeq;, qvà exitus detur, unde inchoet Natura, qvovè se condat, nec ratione, nec sensu percipiunt. Alexandrum illum Magnum in Phrygiâ Gordius nodus, notabile vinculum adstrictum, compluribus nodis in semet implicatis, nexusq; celantibus, solicitum tenuit. Phrygum turba circa illum explicatione suspensâ, Macedonum solicita ex temerariâ regis fiduciâ, adstitit. Solvere enim aggressus curam injecit, ne in omen irritum verteretur inceptum. Neqvidqvam tamen cum latentibus nodis ille luctatus, gladio ruptis universis

versis loris, oraculi sortem, Asiæ potiturum, qvi inexplicabile vinculum solvisset, vel implevit, vel elusit. Mortale genus Naturæ regnum, qvæq; in eo, nodis & Gordiis, & Herculanis, exercitat, qvibus & Delphicus Apollo solicitetur. Qvandoqve enim rumpendi sunt, vix solvendi, & ad τὸ Non Liqvet, decurrendum, illudq; Horatij adhibendum: *Nec scire fas est omnia*. Ipsa cœlestia, Sol, astra, motus, ordo, statio, vis, qvantum intricati spatiosiq; involucri obtineant, non antè liqvidò constat, qvàm in seriam contemplationem nos demiserimus. Ibi & curam difficultas ciebit, & desperationi januam inextricabilis involutio aperiet. In terris, aqvis, elementis, mineralibus, plantis, animalibus, infinitos labyrinthos occurrere, & res docet, & Physiologi ore ac scriptis proclamant. Hoc *Fracastorio* lamenta excivit: hoc multis inqvirendi fastidium peperit, à curâ vestigandi avertit, *Academicis* nihil sciri posse suggessit, & omnibus exercendi argumentum suppeditavit. Animum humanum si ad calculum revocare placeat, ob qvem divinum in animantium genere hominem Atheniensis qvidam ap. *Platonem* censuit, disceptatio omni Mæandro tortuosior excipiet. Dum nodos omni diligentiâ exsolvere videamur, novis colligabimus, & velut superfluâ caligine imbuemus Occurret, ubi miremur, vel qvo vultu rem excipiamus, vel qvibus verbis proferamus. Pallium, qvod pictor Agamemnmo-

memnoni circumduxit, in damnato ſtupore exoptare eveniet. Non ſupernaturalia in exemplum traham, notiſſimæ perplexitatis arcana, & ſenſibus, & rationi humanæ abſtruſa. *Horatianum* illud occurrat: Ah, qvantâ laboras in Charybdi! Velut DEVS ſcire homini non indulſerit, niſi tricoſum adnexuerit. Omnia difficulratibus conſerta ſunt. Nemoq; ita hebes ac demiſſus in ſcientiæ regno eſt, ut non advertat qvandoq;, erigatq; ſe, ac conſurgat. Inprimis, ubi novum aliqvod inſolensq; perplexi inducitur. Qvamdiu enim ſolita decurrunt, difficultatem ac magnitudinem rerum freqventia ſubducit. Qvia qvotidiana, etſi implicita, & admiratione digna, ſentiendi aſſiduitate fermè prætereunt. Minimarum rerum occurſus, ſi novus ac inſolens, tenet, afficitq;. Ille aſtrorum curſus, qvib. immenſi corporis pulcritudo diſtinguitur, vix centeſimum ſolicitat. Sed cum ex more aliqvid mutatum eſt, cum præter ſolitum qviddam rari emicuit, ad ſpectandum, interrogandum, oſtendendum, pleriqve animantur. Adeò naturale nobis, magis nova, qvàm perplexa & abſtruſa, mirari. Qvanqvam omne difficile argumentum mirandi occaſio ſit, etſi ſvetum ac qvotidianum. In ipſo præternaturali regno, qvod *Magica* conſtituunt, ingens tricandi, & conſeqventer admirandi, circulus ſe pandit. Hic & triceſimas in Orco ſcrutari, & Charybdin tentare

detur,

detur, qvæ & ardua ingenia absorpsit. Vacillante pede premenda ea, cum ignotiora ac remotiora intercurrant, qvàm ut humanæ mentis vestigium ubiq; firmiter calcet. Per nubem videre & suspicari fas sit, non scire: ambire, non adire, lustrare, non penetrare. *Tractatus* hic ipse argumento sit, qvi materiam deducit. Aristoride aut Argo opus esse censeatur, multiplicibus oculis vidente. Qvæ ad Phœbi ortus direxit, illis vidit: Occidentis ad plagas clausi fuerunt apud *Euripidem*: Sic hic eveniat, & qvà se pandunt Magica, adverti qveant: qvà in recessus se occludunt, suspicari & coecutire relictum sit. Nempè in plurib. hominis est opinari, DEI scire, ut cum *Xenophane* apud *Varronem* dicam. Everberata tamen plurima, ut spero, discussa, atq; ad radium ac lucem protracta. Statuta firmataq;, ac meritissimâ propositione pleraq; monstrata. Qvòd si inferni secreta non omnia penetrata, humanæ conditionis indolem cogitari æqvum erit. Nulli eorum, qvi maximis titulis amplissimas disciplinas, qvas nemo non suscipit, & professi sunt, & præstiterunt, hoc ita cessit. Districtior Censor si incurrat, multos *proniores ad reprehendendum sine judicio, qvàm censendum sine affectu esse cogitandum. Facilius, aliena redarguere, qvàm ex suo ingenio reprehensione majora proferre.* Nec statim collineat, qvi promptiùs carpit: Nec meliùs dicit, qvi acriùs reprehen-

prehendit. Cur autem Vestro, *Viri Amplissimi, Fautores eximii*, patrocinio præsens meletema Magicum delegatum, nec ratio è longo, nec excusatio è solicito petenda fuit. *Vterq;* à longe mihi notus, alter oculis, alter literarum commerciis. Honestissimè *uterq;* de literis censet, ut qvibus imbutus: ac literaria scemmata non potest non magnoperè æstimare. *Vterq;* benevolentiæ nexu singulari mihi devinctus: alter in ædes, alter in villarum amoenitates me invitans, mereri visus est cippum, ad qvem professio ejus appenderetur. *Vterq;* prædia, districtus colit, qveîs argumenti occasio non infreqvens, Sagarum negotium, considerato dignum, ne eodem omnes ponantur ac parentur, sed distinctorum diversa cura geratur. Eoq;, qvò minùs grata tractatio futura sit, minimè dubitatio animum distringere debuit. B. V. Viri Amplissimi, & scriptum animumq; Scriptoris solito favore suscipitote. Gedani. E Gymnasio nostro. 18. Cal. Septembreis. An. 1649.

VV. AA.

Addictissimus

Henricus Nicolai, Prof. Gedan.

Catalogus Exercitationum Tractatus hujus.

I. De existentiâ & appellationib. Magicarum actionum. Resp. *Israële Ackerbaum, Dantiscano.*

II. De definitione & principiis Mag. act. Resp. *VVenceslao Gersone Brosio, Velcaviense.*

III. De subjectis Magicis. Resp. *Samuele Schrötero, Vngaro.*

IV. De Exportatione & congressu Magico. Resp. *Christiano Nifanio, Dithmarso.*

V. De Congressu & partu Magico. Resp. *Beniamine OsVValdo, Thur.*

VI. De transmutatione Magicâ. Resp. *Christiano Storchovio, Dantisc.*

VII. De actionib. Mag. in cœlum & elementa. Resp. *Christophoro Colbio, Regiomontano.*

VIII. De actionib. Magorum in bruta. Resp. *Michaële GerVVin. Mariæburgense.*

IX. De actionib. Mag. in hominem naturalib. Resp. *Davide Ertmanno, Mariæburgense.*

X. De actionib. Mag. magis moralib. agnitione & aversione, cognatis ac oppositis earum. Resp. *Christiano Omuth, Dantisc.*

Index Capitum Tractatus hujus.

Cap. I. De Magicarum actionum existentia & appellationibus, ac necessitate & utilitate doctrinæ hujus.

II. De Definitione Magicarum actionum.

III. De Causis & principiis Magicarum actionum.

IV. De Effectis & speciebus Magicarum actionum, & primò, quæ in ipsis Magis eveniunt.

V. De Sagarum cum Sathanâ congressu, partu, & liberis inde prognatis.

VI. De Magorũ transmutatione in lupos, feles, aliaq; bruta anim.

VII. De actionibus Magorum in alia â se, & primò in insensata, cœlum & elementa, mineralia, vegetabilia.

VIII. De actionibus Magorum in Corpora sensata, ut animalia, & primò qvidem in bruta.

IX. De actionib. Magorum in hominem, & primò magis naturalib.

X. De actionibus Magorum in hominem magis moralibus.

XI. De affectionibus Magicarum actionum.

XII. De Cognatis & Oppositis Magicarum actionum.

D. O. M. A.

DE MAGICIS ACTIONIBUS,

Earum principiis, attributis, effectis, speciebus, probationibus, & punitionibus,

TRACTATUS SINGULARIS.

CAPUT I.

De Magicarum actionum existentiâ, & appellationibus. Ac necessitate & utilitate doctrinæ hujus in Ecclesiâ.

QVod in ore sapientum ac insipientum, Philosophorum *& indoctorum, frequens ac diu magnum querelæ argumentũ suppeditat*, in exiguum ævi mortales hodiè gigni, nec annorum numero antecessoribus respondere: *Scientiâ item, artibus, sapientiâ, & judicio, longè à priscis superari, ac tàm ætatis numero & robore, quàm ingenio hodierna tempora in decrementa ire:* Id nec absq; ratione *fortassè dolorem cieat*, nec sine experientiæ *approbatione asseri videatur. De ætate & sapientiâ tricari quidam, ac hodierna tempora Veteribus contendere præsumunt*, *Vt* Jonstonus in Naturæ constantiâ, *de Virtutibus etiam* Puteanus l. 1. hist. Mediceæ, *nostra secula priorib. æquiparat:* Præter communem tamen consensum rei huic applaudentem, & experientia Veri testimonio prælucebit. *Nam & rariora in bonis hodiè, ac olim sunt*, Ætasq; parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem, ut

Lyricus l. 3. Od. 6. *lamentatur: Et quæ ætatibus hominum ex recente ævo adscribuntur, nunquam in eum numerum ascendent, ut antediluvianorum Patriarcharum annis respondere queant.* Ingenio *autem nos à priscis vinci è multis elucere debeat. Nam & artium plerarumq́ illi inventores, nos excultores saltem & usurpatores:* Et *fundamenta illis debemus, quibus nos superstruximus:* Et *linguas ab illis didicimus, quarum illi authores & excultores primi:* Et *si singularium inductione confirmatio subnasci debeat, ex Hebræis* Adami, Mosis, Davidis, Salomonis, *sapientiam nemo hodiè sibi arrogare audeat, ex Græcis* Aristotelis, Platonis, Socratis, Plutarchi *scientiæ nullius par esse queat: Ex Latinis* Senecę, Taciti, Curtii, Ciceronis, Varronis, *prudentiam ac eloquium nemo hodiernorum assequatur, ut omnia priscis illustriora concedere necessum fuerit. Quibus frequentia* Philosophorũ *lamenta adjiciamus, de quibus* Dec. 2. Misc. d. 2. t. 1. *actum. Et Scriptura nõ abludit* Sap. 9. v. 16. Sir. 42. v. 23. seq. *Quæ cum passim in Naturâ rerum se prodant:* Circa immaterialia tamen *agnoscẽda inprimis vera observantur. Hic veritas in* Democriti *puteo demersa est, multumq́ laboris exhauriendum, si ad solidum penetrare destinatum fuerit. Non facile quippè in intellectu est, qvod in sensu nostro non est. De spiritu facilius, quid non sit, quàm quid sit, dicere licebit.* Ac spiritualia nonnisi per analogiam corporeorum concipimus & intelligimus. *De ipsis substantiis immaterialibus, in quibus potiores angeli, alibi in* Michaëlibus *actum Nobis.* De operationibus *quarundam, ut malarum Intelligentiarum, multa ac scitu digna in quæstionem venire posse citato* Tract. c. 71. *diximus, ac* peculiari Ttractatu *Nos quædam deducturos promisimus. Cumq́ olim* Wittebergæ Anno 1623. Disputatio de magicis actionibus à Nobis habita fuerit, *quæ bonam operatio-*

rationum partem, quæ à malis geniis per Magos expediri existimantur, complexa est: Eam iteratæ revisioni subjicere, & pleniore Tractatu expeditam universam istam materiem dare constituimus. Inprimis qvòd & *iteratâ editione disputatio ista nobis non scientibus in publicum à Typographo data fuerit, Cum si scitum istud fuisset, meliùs ac pleniùs quædam pertractare licuisset:* Et ab quodam Ab. Lehmanno tertiâ vice *penè tota descripta, & pro suâ Witteberga Anno 1636. exposita sit, Qvod similiter nec scitu, nec approbatu nostro obtigit.* Itaq; argumētum istud ex proprio jam demensum BONO CUM DEO *exhibeamus.*

2. Primum, qvod in Tractatione rei *antepeni solet, est quæstio*, An res detur? *De* actionibus ergò Magicis *similiter quæratur*, An verè existant illæ, adeoq; an Magi Diabolici reverâ existant? *Negari enim hoc à quibusdam* t. 8. *patebit.* Dari autem eas, *h. e. actiones à Sathanâ ut primo authore in hominibus profectas, probatur* Scripturâ & Naturâ. Scriptura I. Exemplis *hominum tales actiones exercētium, ut Magorum* Pharaonis *in Ægypto, qui similia miraculis Mosis in convertendis baculis in serpentes patrasse leguntur*, Exod. 7. v. 11. 12. 22. C. 8. v. 7. *Qvod* nec vi Naturæ *patrârunt, Ejus enim mutatio in nonnullis planè non hic procedit, in nonnullis nonnisi cum diuturnâ morâ & alteratione, qualis hic intervenire non potuit, Cum celeriter ad imitationem Mosis & Aaronis, ut eorum miracula extenuarent & suspecta coram Rege redderent, omnia expedita fuerint:* Nec virtute DEI *extraordinariè illis commissâ, ut* Calvinus in h. l. *vult, Sic enim non Mosi & virtuti ejus restitissent, qvod facere eos voluisse certum est*, 2. Tim. 3. v. 8. *Et per incantationes Eos id fecisse dicitur*, v. 11. 22. & 7. cit. loco. *Quibus invocatus dæmon adfu-*

it, resq́ eas expediit. DEI *autem virtus non per incantationes procedit.* Qvod si DEUS *author draconum etiam apud Magos fuisset, secum ipso pugnasset, &* tàm *mendacii per Magos,* quàm *veritatis per Mosen testis apud Pharaonem fuisset, Tàm enim Magorum, quàm Mosis opus sigillo sibi proprio, miraculo aliquo obsignasset, Quod absurdum & impium:* Et sive præstigiis *saltem oculos spectantium eluserint Magi, ut non veri serpentes fuerint, sed quasi essent, saltem apparuerint, & larvæ ac umbræ Dœmonum fuerint, ut* Nyssenus, Prosper, Justinus, Rupertus, Tertullianus, Et ex novellis Jacobus Rex l. 1. Dæmonol. C. 6. aliiq; *volunt:* sive veros serpentes *in locum baculorum amotorum substituerint, ut* Augustinus, Theodoretus, Lyranus, Tostatus, Brugensis, & alii *sentiunt, vis & potestas, quâ egerunt, non DEI, sed alterius cujusdam fuit:* Nec virtute *angeli boni per Eos agentis, hic enim Deo ejusq́ virtuti per Prophetas suos agenti non resistere, sed se submittere solet, nec vanitatem & mendacia confirmare, ut hi Magi fecerunt.* E. vi angeli mali, *h. e. Sathanæ ista patrârunt. Sed qui ejus vi agunt,* Magi *& incantatores sunt. E. & tales actiones sunt, quas* Magicas *vocamus.*

3. *Similiter* Bileami Pseudoprophetæ *exemplo, quem Magum fuisse, & Magicis actionibus operam dedisse, etsi* Eugubinus, Eucherius, Drusius, Calvinus, aliiq; *negent, ex textu tamen toto,* Num. 22. 23. 24. *manifestè probatur,* & C. 24. v. 1. *apertè in occursum auguriorum antea juisse dicitur, h. e. ad auguria à Sathanâ petenda, ut eorum ope Israëlitis maledicere posset. Ita & 7. altaria ipsi Baal extruxit eiq́ immolavit,* C. 24. v. 1. *Israëli maledicere intendit, sed Deus pro Diabolo occurrens invitum benedicere coëgit,* C. 22. v. 22. 35. C. 23. v. 5. 7. 8. *In mercede iniquitatis beneplacitum habuit,* 2. Pet. 2. v. 15.

Et

Et scandalum fornicationis ac idololatriæ in Baal Peor Israëlitis objecit, C. 25. v. 1. 2. C. 31. v. 16. *Qvod DEI Prophetæ facere non solent, qui ab omni malo abstinere jubent. Vnde & stolidis Prophetis, qui erroribus viam apperiunt*, 2. Pet. 2. c l. *annumeratur: Et justè postea ab Israëlitis occisus fuit*, Num 31. v. 8. 16. *Quæ omnia in Dei Prophetas non quadrant.* Quare impium Prophetam & Ariolum *eum fuisse necesse est, qui sceleribus suis tantùm Dei nomen prætexuit, cum reverâ Sathanâ authore sua moliretur, ut pluribus in* Numeris *disceptari solet. Item* Exemplum Mulieris Pythonicæ *Sauli umbram Samuelis repræsentantis huc facit*, 1. Sam. 28. v. 7. 8. seq. *Quæ Sathanæ vi totum id peregit, qvod expedivit*, sive *verum Samuelem produxerit, ut multi inter* Papistas *volunt, sive spectrum tantùm & larvam ejus speciem repræsentantem, ut* varii Patres *multiq́ inter ipsos* Papistas *veriùs sentiunt*, ut Tract. d. Multipræsentiâ t. 108. *dixi. Vnde & isto capite ita describitur, ut pythonico spiritu præditam fuisse constet, prout Hebræum* אוב *pythonem notat, qui per illicitos modos responsa præbet, & ipsa Dominus ejus aliquoties vocatur.*

4. Nec sufficit effugium, *Saulem totum capite perturbatum, fame inediaq́ confectum fuisse, eoq́ omnia per phantasiam saltem ut umbras, objecta fuisse, nihil veri ac solidi in se habuisse, nec Deum concessurum, Vt in formâ sanctorum suorum Diabolus appareat, quo* nonnulli *apud* Jacobum Angliæ Reg. L. 1. Dæmonologiæ C. 1. *utuntur. Nam* etsi *verum est, spectrum Sathanicum Samuelis speciem mentitum, non autem ipsum proprium Samuelem apparuisse, ut* c. l. de Multipr. *ostendi:* Verè *tamen illud apparuit, Sauliq́ visum, verè cum eo locutum est, exitumq́, quem probabiliter ex historiæ circumstantiis, variâ ac diuturnâ experientiâ, nativâ ingenii sagaci-*

 tate

tate, scire potuit, prædixit, verè etiam à Saule pro Samuelis *specie, qualem ille vivus gessit, agnitum fuit, ac Diabolum se in angelum lucis transformare certum est,* 2. Cor. 11. v. 14. *Quidni species sanctorum permissu Dei ad tempus repræsentare possit?* V. C. 4. t. 23. *Etsi id Deus permissurus non sit, ut* suum populum *seducat; sed eos tantùm, qui seipsos sponte propriâ circumveniunt, qui voluntariè in proprios laqueos currentes incidunt, & quia veritati locum dare renuerunt, validis erroribus ac mendaciis justo Dei judicio implicantur,* 2. Thes. 2. v. 11. *Ita* Simonis Magi *exemplum manifestum est, qui Samaritanos præstigiis Magicis detinuit, ut magnam Dei virtutem ipsum esse existimarent,* Actor. 8. 9. *Qui expresse* μαγεύων, v. 9. *Et* ταῖς μαγείαις ἐξεστακέναι, *Magicis actionibus dementasse Samaritanos* v. 11. *dicitur, Qvod exemplum effugiis eludi non potest. Verè enim Sathanæ artibus ille operam dedit, iisq; Samaritanos occæcavit, ut divinâ vi eum talia patrare existimarent, Qvod & Ecclesiastica historia de eo testatur. Sic &* Act. 13. v. 6. 8. Elimæ Magi *mentio fit, Qui utroq; versu expressè* μάγος *appellatur.* Act. 16. v. 16. puella *refertur, quæ spiritum pythonicum habuerit, & Dominis suis vaticinando magnum quæstum attulerit, qvod Magicum quid fuisse necesse est.* Act. 19. v. 19. quorundam *mentio est, qui curiosa sectati fuerint, librosq; comportârint, & publicè ignibus subjecerint. Vbi* etsi per curiosa quidam transmutationes Chymicas, ut Mariana, aut Astrologicas prędictiones *intelligere velint: Communissimè tamen* Magicę artes *illis notari solent, quæ verè curiositates sunt, Et* Ephesi *frequenter eas exercitas fuisse* Hieronymus præfat. Ep. ad Ephesios *testatur. Ita* Apollonius Thyaneus *publicè Magiam ibi docuit, ut* Philostratus l. 4. de vita ejus *tradit, Et proverbium,* Ephesia grammata, vel notæ,

inde

inde ortum est, pro signis Magicis, quibus ad victoriam obtinendam, pericula depellenda, Dæmones pellendos, uterentur, ut Plutarchus l. 7. Symp. q. 5. Et Eustath. in Odysf. φ. *testantur. Ita Patres communiter*, Chrysostomus, Oecumenius, Beda, Eusebius l. 3. demonstr. C. 8. aliiq;. *Vnde* & Syrus *Magos vertit, Multi è Magis venerunt, &c.*

5. 2. Scriptura *magicas actiones dari testatur interdictis de illis sectandis, puniendisq́ hominibus, qui illis utuntur*, ut Exod. 22. v. 18. Lev. 19. v. 31. C. 20. v. 6. 27. Deut. 18. v. 10. 11. Non autem Scriptura *ullum peccatum interdicit, qvod non detur in mundo, nec execrationem umbris saltem aut phantasiis imponit, quæ reipsâ in propriis existentiis non dantur, sed illis, quæ essentialiter mala sunt, & reverâ in rerum naturâ existunt.* 3. Inter coetera peccata *& incantationum ac Magicarum actionum scelera adducit & commemorat, Vt* Psal. 58. v. 6. Gal. 5. v. 20. Apoc. 9. v. 21. C. 21. v. 8. C. 22. v. 15. *Sic inter peccata Isebel incantamenta recensentur.* 2. Reg. 9. v. 22. *Israelitarum*, C. 17. v. 17. *Manassis*, 2. Chron. 33. v. 6. *Babyloniorum*, Esa. 47. v. 9. 12. *Edomitarum, Moabitarum & Ammonitarum*, Jer. 27. v. 9. *Et Magicis actionibus inobedientia assimulatur*, 1. Sam. 15. v. 23. *Non autem peccatum assimilari potest peccato, qvod prorsus non datur in naturâ: Similiter Deus minatur se incantatores extirpaturum*, Mich. 5. v. 12. Malach. 3. v. 5. *Qvod etiam fieri non posset, nisi tales verè alicubi existerent. E. Magicas actiones ex Scripturæ testimonio omninò dari necessum est.*

6. Ex naturâ *Magicas actiones esse probatur* partim ratione, partim experientiâ & authoritate. Ratione 1. Si dantur mali genii, *dabuntur & actiones per eos expeditæ. Operosi enim illi sunt. At illi dantur, ut ex operationibus obsesso-*

rum

rum immotè in Michaël t. 3. *ostensum. E. & actiones eorum dantur. Et consequenter & Magicæ, quæ extra naturæ circum procedunt.* 2. Quia Diabolus perpetua Dei in agendo simia est, *ejusq́ actus passim imitari cupit, ut ex Idololatriis gentilium & Iudæorum, variisq́ ritibus, ceremoniis, sacrificiis, & vaticiniis apud gentes & Iudæos patet.* V. C. 3. t. 19. *Sed Deus mira interdum per suos servos expedit, ut miraculorum exempla docent. E. & Diabolus incantamenta, præstigias, & similia per suos homines perficiet. At talia actiones Magicæ sunt.* 3. Quia si actiones eæ nullæ sunt, *frustra leges civiles cõtra eas latæ sunt, frustra actionũ talium authores inquiruntur, ad judicia sistuntur, damnantur, extermināntur. At plenæ sunt leges tàm civiles, quàm municipales de illis, plena fora & judicia de magorum processibus, quæ frustra à prudentib. occupari imprudens assertũ erit.* 4. Quia actus Sagarum, in quantum tales sunt, *ut fascinare, incantare, ad montem Bructerorum per aërem subitò exportari, tempestates ciere, de furtis, occultis, rebus remotissimis, quæ in aliis terris geruntur, thesauris abstrusis & ignotis, responsa dare, scientias sine labore statim acquirere, ignotis linguis, quas non didiceris, loqui, corpus oculis præsens in momento subducere, aliudq́ substituere, vel actus naturæ humanæ, vel peculiaris artis, vel potestatis divinæ, aut angeli boni, vel deniq́ Sathanici sunt.* Plura *enim agendi principia in hoc negotio dari non possunt. Sed* non naturæ humanæ, *cujus circum multa istorum actuum supergrediuntur, ut patet: Nec peculiaris artis, quia Magia Sathanica in artium numerum non est recipienda, ut* C. 2. t. 4. seq. *patebit*: Nec potestatis divinæ, aut angeli boni, *quia multa impia hic, ut incantamenta, fascinationes, præstigiæ, & elusiones, qualia à vi Dei aut angelo bono non proficiscuntur. E. à peculiari aliquâ intellectuali naturâ, quæ alia,*

quàm

quàm Sathanæ aut angeli mali esse non potest, & sic à potestate Sathanicâ ortum habent, ut C. 3. t. 3. *pluribus patebit. At qui actus inde proficiscuntur,* Magici *vocari solent. E. & hos dari necessum est.*

7. Experientiâ *Magicas actiones dari probatur variis exemplis præstigiarum, incantationum, & similium, Et* C. 2.3. seq. *patebunt. Item exemplis* Magorum, sagarum, lamiarum, strigum, *quarum gesta integris libris quandoq́ descripta sunt. Sic* Philostratus *gesta* Appollonii Thyanei Magi, Wagnerus Johannis Fausti *præstigiatoris, alii aliorum descripserunt. Sic* Wierus, Bodinus, Delrius, Cigogna, Remigius, aliiq́; *in suis scriptis de Magicis rebus,* Zvingerus & Beyerlingius aliiq́; *in theatris suis varias historias & exempla Magicarum rerum recensent,* ut t. 11. *patebit.* Etiam hodierna experientia *Sagarum, lamiarum, Magorum, præstigiatorum, & veneficorum exempla suppeditat.* Anno 1644. *Quo hæc commentati sumus, studiosus aliquis in Academiâ Gryphiswaldensi in Majo securi percussus est, quòd Magicas res discipulos suos addocere ausus esset.* Anno 1627. 28. *ingens Magorum & Magarum numerus in* Episcopatu Bambergensi, Herbipolensi, Moguntinensi, *exustus est, ut & Canonici, Cancellarii Episcoporum, eorum uxores, filii & filiæ totaq́; penè oppida simùl ob nefaria gesta Magica exusta fuerint. Ac omninò frequens Magorum & Lamiarum apud omnes ferè gentes & mentio & sententia, ut vix populus aliquis sit, qui non in eam sententiam consenserit, Magos diabolicos omninò dari. Hoc enim & Europæi, & Asiatici, & Africani, & Americani pleriq́ confitentur.* Authoritate *Magicos actus dari probatur* partìm gentilium, ut Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, Pselli, Plotini, Jamblichi, Procli, Chalcidii, Apuleii: Ex Peripate-

ticis Aristotelis lib de. mirab. aud. Theophrasti, Ammonii, Philoponi, Avicennæ, Algazelis, *quos adducit* Cigogna l. 4. d. Magia, C. 2. Ex Poëtis Virgilii in Pharmaceutria, seu Ecleg. 8 Hor. Epod. Od. ult. Et lib. 1. serm. sat. 8. Sen. in Thebaide, Statii, Homeri *apud* Cigognam c. l. Lucani l. 6. d. bello Civili, Ex Historicis Plinii l. 25. Nat. hist. C. 9. L. 26. C. 4. Plutarchi lib. d. invid. & od. Et lib. d. Socr. genio, Philostrati l. de vitâ Apollonii, Ex Oratoribus Ciceronis l. 1. d. nat. Deor. & *aliorum*, Partim Christianorum, ut Clementis Alex. l. 2. & 4. Recogn. Augustini in lib. d. Ciu. D. Et l. de divin. Dæmonum, Hieronymi variis in locis, Irenæi *etiam*, Justini Martyris, Eusebii, Sulpitii Severi ap. Delrium præf. disquis. Magicar. *Et aliorum, qui de rebus Magicis libros scripserunt, qui t. 11.* narrabuntur.

8. Oppositum *hic Nonnulli senserunt, & Magicas actiones dari negârunt, omniaq́, quæ de illis narrantur, fabulosa censuerunt. Ita* Plinius l. 30. c. 2. *Magiam, quæ nulla est, inquit, Tyridates Neronem docere non potuit. Similia* l. 26. C. 4. *habet.* Petrus de Apono *Medicus spiritus nullos esse censuit, eoq́ & Magicos actus negavit. Quidam* Guilielmus Linensis *Theologus eò se Sathanæ obligatum fuisse fassus est, ut publicè concionaretur,* fabulam esse, quicquid de Magis prędicetur. Toleti, *ubi Magorum Schola habita fuit, fuerunt, qui effusè riserunt, cum de Magis quæstio aliqua habita est, totumq́ fabulam dixerunt, quicquid de Magis diceretur. Similia* Alciatus & Neopolitanus quidam, *Conservator dictus, censuerunt. Vt de illis omnibus* Bodinus præfat. Dæmon. *testatur.* Quidam Corn. Callidius Gudanus idem sensit, *& publicè Treviris recantare coactus ut, ut* Delrius append. l. 5. Et eodem lib. s. 4. *tradit. Qui Spiritus & angelos esse negaverunt,*

verunt, ut Sadducæi, Epicurei, Athei, Democritus Abderites, Bernh. Risvvich, *& similes, de quibus in* Michaël lib. t. 3. *egi, etiam Magicas actiones consequenter sustulerunt, harum enim primi motores angeli mali esse debent, ut* C. 3. t. 3. *patebit.* Cardanus l. 15. de rer. Variet: *de lamiis ait, Qui naturæ principiis insistunt, talia ut fabulosa irrident. Ita magna dubitatio de his orta, aliis censentibus, eas esse, aliis negantibus. Qui illas esse affirmant, in medium experimenta adducunt, & confessiones Sagarum, & eventus à confessione non dissidentes:* Ipse *pleraq; plena vanitatibus, mendaciis, repugnantia, inconstantiaq; censet.* Dices: *Multa, quæ de Magis dicuntur, fabulosa sunt, ut postea* C. 4. t. 2. *patebit. Et Diabolus mendax à principio, & Pater mendacii est,* Joh. 8. *E. quicquid hic per Magos agit, vanum & mendax esse probabile est, & totum hoc negotium fabulosum erit. R.* Neg. Consequentia. *Falsa veris intermista esse possunt, ut non statim negotium totum falsum esse cogatur. Et sic in hac materiâ est.* V. C. l. t. 10. 15. *Diabolus Pater mendacii est, sed non ut semper tamen facto mentiatur. Quandoq; enim vera dicere potest. Sic cum Christum Dei Filium confessus est,* Matth. 8. Marc. 1. & 5. *Etsi ex Circumstantiâ aliquâ mali quiddam hic adjunctem esse potuerit, ut* in Michaël. t. 68. *dixi. Primus ipse mendacium in orbem introduxit, & sic Pater ejus est: Salvo eo verum quandoq; dicere potest. Sic omnis homo mendax,* Psal. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4. *h. e. ad mentiendum pronus, ut quandoq; tamen non mentiatur, sed verum dicat. Cretenses semper mendaces,* Tit. 1. v. 12. *ut quandoq; tamen verum dicere possint. Sic furaces quandoq; non furari, bibaces quandoq; non bibere possunt, sed temperare.*

9. *Ostensum*, verè Magicas actiones dari, *non ex toto commentitias esse.* Jam in re, non ratione dari, *h. e. in natu-*

turâ rerum realem suam existentiam habere in ipsis actibus à Magis ope dæmonis patratis, non in mero intellectus cogitari totum esse habere, ut aliud præter illud nullum habeant, facilè simul patet. Omnis enim actus verum & reale esse in ipso agendo habet, *non merè, acsi haberet, cogitatur. Magicus autem actus est actus. E. & is in eo verum esse habebit.* Tertio loco quæritur, ubi actiones magicæ considerandæ veniant? *Spectari possunt*, vel *prout à primario suo principio oriuntur, Sathanâ, qui dux, author, & primus motor earum in magis, sagis, & lamiis est, interdum realiter id perficiendo, quod magi perficiunt, interdùm oculos spectantium perstringendo, vel cerebrum & phantasiam magorum eludendo, ut præstare, videre, tangere se videantur, cum delusoria omnia sint, & nihil realiter eveniat, ut* C. 4. 5. 6. *pluribus patebit: Ita ad eam disciplinam pertinebunt, in quâ angeli mali natura discutitur, omniaq́ ejus effecta, sive vera s. delusoria sint, consequenter repræsentantur, quæ* Pneumatica *s. doctrina de spiritu ut sic hodie est, Quomodo* Alstedius in Pneumaticis p. 3. C. 7. 8. 9. *varia de illis habet.* Alii *in Angelographiis peculiariter ea deducunt, ut* Casmannus, alii *in Pancosmiis, ut* Patritius: Vel *prout per homines expediuntur, in hominibus ipsis tàm sagis, quàm aliis, circa quos illæ agunt, perficiuntur, ut deportationes nocturnæ, animalium transformationes, sexuum mutationes, Ita ex parte ad Physicam reduci poterunt, subjecta enim motui locali aut mutationibus subjacentia corpora naturalia sunt, quæ hactenùs ad Physicam jure remittuntur, motusq́ ipse sæpiùs hominibus violentus est. Violentum autem naturale supponit, & ad id revocari solet,* 5. Phys. C. 6. t. 57. Vel *interventu variarum rerum Physicarum, ut herbarum, metallorum, mineralium, succorum, amuletorum, periapterum, eveniunt, ubi agentia pas-*

tia passivis interdum à dæmone & magis applicantur, & mediantibus illis effecta quædam per Physicas rerum virtutes expediuntur, & Physicæ virtutes jure ad Physicam referuntur.

10. Vel quatenùs morbi varii, *veneficia, incantamenta, fascina, per illas immittuntur, aut immissa sanantur & solvuntur, ita ad Medicinam aliqua de illis pertinebunt, unde in Medicinis Practicis etiam de morbis Magicis & per maleficia immissis tractari solet, modiq́ cognoscendi & curandi illos præscribi solent, V.* Sennertum l. 6. Pract. medic. par. 9. Amatum Lusitanum Cen. 6. Cur. 87. Zacutum Lusit. l. 5. prax. mirab. c. 134. Ubi Codronchium, Langium, Fernelium, Gemmam, *aliosq́ Medicos allegat. Sic &* Paracelsus *de morbis è maleficio curandis tradit* 1. d. occult. Philos. lib. de cœlesti medicina, lib. d. vitâ longâ, Philos. magnâ, morbo caduco, de curand. morbis hyperphysicis, & alibi. Vel *quà actus isti constitutis legibus prohibentur, in Magos ac Sagas certæ pœnæ constituuntur, Magi inquiruntur, & deprehensi meritis suppliciis subjiciuntur. Ita ad leges partìm divinas, partim humanas, easq́ & civiles & publicas, vel jus publicum ut vocatur, practicas Criminales, & Thesauros practicos juridicos pertinent. Sic in lege divinâ leges contra Magos sunt,* V. t. 5. *In Iure Canonico, Civili, & Criminali similiter contra eos edicta tota sunt, ut ex Codice, Caroli V.* **peinlich HalsGerichtOrdnung** *& similibus libris patet. Hoc modo ad* Theol. & Jurisprudentiam *magici actus pertineant:* Vel *ut justo judicio à Deo permittuntur, in castigationem, pænam, probationem aut simile quid hominibus immittuntur, & ad certos hominiq́ salutares fines diriguntur: Ita similiter ad* Theologiam *in loco de providentiâ, gubernatione Dei circa homines, peccata, & similibus pertinere poterunt:* Vel *ut variis quantitatibus, Characteribus, fi-*

bus, figuris, numeris, aut ridiculis ceremoniis interdum constant, Ita vel ad Metaphysicam doctrinam *de quantitate, ubi an ejus in se aliqua efficacia esse possit, disquiri solet*, vel ad Medicinæ partem *referri debeant, in quâ an characterum, sigillorum, Imaginum, verborum, & similium, virtus aliqua esse queat, disceptatur:* Vel deniq; *ut varia de illis in quæstionem venire possunt, quæ non uni præcisè disciplinæ addici queant, sed* partim *Physicalia*, partim *Pneumatica*, partim *Theologica, Iuridica, aut Medica esse possint, prout & materia hæc partim à Philosophis, partim Theologis, partim ICtis & Medicis tractata prostat, ut* t. II. *patebit, ut omnes facultates aliquam Magicarum actionum partem decerpserint, & suæ professionis eam esse existimaverint.*

II. Cum variè Magicos actus spectari, *eoq; variis disciplinis ex parte inferri posse dictum sit, etiam ex omni ferè facultate* Authores *quidam de iis nonnulla tradiderunt, quorum syllogen aliquam* inter præcognitionem Magicarum actionum *ordine pertexuisse non inutile in materiâ hac futurum est. Qvod in simili Nos jam olim fecisse patet ex* d. 7. Dec. 2. misc. t. 2. *de resistentiâ generali*, Et dec. 3. misc. d. 1. t. 28. *Ubi Ethici scriptores enarrati.* Ex Theologis Delrius in libris 6. disquisitionum Magicarum, Thyreus de dæmoniacis & spirituum *apparitionibus*, Pererius de *Magiâ*, Danæus *de sortiariis*, Vallicus *dial. d. Lamiis*, Lauaterus *de spectris*, Bullingerus *de sagis & veneficis*, Thummius *disp. d. magiâ*, Saurius & Frisius *de sagis*, Victoria de Magia, Laur. Ananias *de naturâ dæmonum*, Sylvester de *strigibus*, Alph. d. Castro *in opere de punitione hæreticorum*, Stumphius wieder die Zauberey/ Hamelmannus & Jodocus Hokerus *de Diabolis libro German:* der Teuffel selbst/ Sprengerus in malleo malefi-

carum,

carum, *ubi & varios aliorum de ista materiâ tractatus comportat, ut* Nideri *Formicarium de maleficis*, Basini *d. artib. magicis*, Mengumii *flagellum dæmonum*, Gersonis, Murneri, Felicis Malleoli, Barth. de Spinâ *quæstionem de strigibus*, *& Apologiam, aliorũq;*: Trithemius *Abbas de lamiis & sagis*, Binsfeldius *de Confessione maleficorum*, *Et* Commentario In Codicem l. 9. de malefic. & Matthemat. Samsoni⁹ 9. Hexenpredigten/ Meyfarti Erinnerung von Hexerey/ Sculteti vel potius Ant. Prætorii, *Cujus Tractatus esse putatur*, Bericht von Zauberey/ Neuvvaldus c. Scribonium d. *probatione Sagarum*, Anonomus *aliquis examine Epistola & Physiologia Scribonii de Sagarum probatio*. Thomas l. 3. c. genter C. 104. Et in part. 1. Th. Schol. *ubi Commentatores ejus ad istam partem etiam de dæmonum actionib. nonnulla proponere solent, ut* Valentia, Tannerus, aliiq; T. 1. disp. 4. & 5. *Interdùm & in scriptis* de Casibus conscientiæ *aliqua horum inter spergi solent, ut ex* Balduini, Amesii, Alstedii, Brochmandi aliorumq; casibus consc. *videre est.* Ex JCtis, Politicis, & Philosophis Jacobus *Angliæ Rex in Dæmonologiâ*, Lercheimerus im Bedencken von Zauberey/ Johann. à Mynster von Gespänsten/ Bodinus *in Dæmonomaniâ*, Remigius in Dæmonolatriâ, Cigogna in *Magiâ omnifariâ*, Lichtenbergius *de sagis*, Varii JCti in responsis Germanicis *de Magis*, Gœdelmannus *de magis & veneficis*, Boisardus *de divinatione & magiâ*, Tholosanus l. 34. Syntagm. per totum, & l. 13. d. Republ. C. 25. 26. seq. Althusius Dicæologiæ C. 102. Hen. Grosius *in magicis historiis*, Torreblanca *de sagis*, Zvingerus Vol. 5. l. 4. Apuleius in libr. Metamorphosion, Beyerling l. 12. Polyantheæ, *Voce Magia*, Hildebrandus in Goëtia & Theurgia, Ulricus Molitor *dialog. de lamiis in* T. 2.

Mall.

Mall. Malefic. Ex Medicis Wierus d. præstig. dœmonum, Euvichius de lamiis, Biermannus disp. de magicis actionibus, Erastus de sagis, Pomponatius de incantationibus, *Magica pertractaverunt.*

12. *Ita* Præcognitis *circa magicos actus expeditis* nomiminum aliqua ratio *habenda, priusquam ad rem ipsam explicandam descendatur. Idq; distinctè per* ambiguitatem, derivationem, & Synonymiam. Ambiguitas est, *quâ Magicus actus interdùm pro actu secretiori naturalis notitiæ sumitur, Quomodo Magiam aliquam Naturalem licitam & genuinam esse certum est, quæ secretior pars Philisophiæ est, quâ per occultam Naturæ & Sympathiarū ac antip. in eâ, modiq; convenietia rebus applicandi notitiā mirabilia sciri & perfici possunt, quæ ignorantibus Sathanæ vi peragi videantur, ut cum Chymici artis suæ beneficio metalla transmutant, morbos transplantant, morbos difficiles facilè tollunt, plantas è seminiis per artem elaboratis producunt, quomodo libri de Magiâ naturali prostant, ut B*aptistæ Portæ, Hildebrandi, *& aliorum, ut mirum sit, prorsùs eam ab* Erasto in p. 1. disp. con. Paracelsum negari, *Cum & communis Philosophorum sententia contradicat, & rem ipsam dari exemplis Magorum naturalium ac in secretioribus Naturæ versatorum doceri possit, de quibus postea :* Interdùm *pro actu virtute Sathanicâ producto. Et hoc modo* vel generaliter *pro præstigatorio vel incantatorio sumitur, ubi vel præstigiis ac fallaciis saltem luditur, vel res ad usus aliquos incantantur, ut herbæ, radices, serpentes, nihil autem noxæ frugibus, hominibus, aut jumentis infertur, Quomodo agyrtæ serpentes incantant, ut ad usus suos innoxiè eos tractare possint :* Vel specialiter *pro eo actu, ubi præter fascinationes, præstigias, incantationes, & maleficia ac veneficia ope diaboli exercentur, quibus damna variis rebus infe-*

inferuntur. Quomodo hodiè Magos, Sagas, lamias, eos vocamus, qui maleficiis nocere possunt, etsi certo modo & inter voces istas discrimen sit, ut t. 14. 15. *patebit. Quibus* duobus postremis modis *magnam partem hoc Tractatu sumetur. Interdum Magicus actus* specialissimè *is dicitur, qui à Sathanâ ipso ex se sine interventu hominis aut Magi expeditur, ut cum in malis operib9 operas inter Diabolos partitur, homines obsidet, ut princeps aëris in aere tumultuatur, dãnatos in inferno cruciat, &c. Quomodo ad doctrinam dæmonum pertinet, & in* Michaëlibus *nonnulla tacta sunt*, t. 65. seq *Et hujus loci propriè non est, Cum tales actus hic intelligantur, qui interventu Magorum aut in illis à Sathanâ expediuntur.* V. C. 2. t. 3. Scaliger ex. 327. *triplicem Magiam facit, unam infimam, fœdam, ac sordidam, Necromanticam: secundam naturalem, qua ex astris vires in specula, sigilla, annulos, tabellas, deducat: Tertiam divinam, Quâ Christum promissum illum Iudæorum regem natum fuisse Magi ex Oriente cognoverint.* Tholosanus l. 34. Syntagm. C. 1. n. 7. *Magum apud Celtas etiam domum notare ex* Piccardo *annotat, quòd Samothes Magi filius apud eos regnârit, ibiq; multa oppida exstruxerit. Inde & appellationes Vrbium quarundam, Vt* Juliomagum, Rothomagum, Cæsaromagum, Noviomagum, *quasi Iulii domus, Cæsaris domus, &c.*

13 Derivatio Vocis Magici *à Magus & Magia est, quæ voces priscis temporibus* honoratissimæ *fuerunt, Magia contemplationem, sapientiam, & scientiarum interpretationem,* Magus *sapientes ac Sacerdotes, Philosophos & Theologos Persarum notavit, quorum institutioni Rex Persarum erudiendus traditus est, Vt* Apuleius Apolog. 1. *testatur. Vnde & nomen Magi ipsis regibus Persarum attributum est, ut* Cicero & Peucerus de divin. *tradunt.* Deinde *& ad omnis generis sapientem*

vox traducta, & magus quemvis sapientem notavit, quomodo Adamum, Noachum, Salomonem, Magos vocant. Vox Magi *Scythis ædificatorem, Persis sapientem & Sacerdotem, Græcis speculatorem notat, ait* Cœlius Rhodigin. l. 5. C. 42. *Postea cum progressu temporis ad vanas artes Magi converterentur, occultas vias & divinationes sectarentur, illicita licitis admiscerent & confunderent, Magiæ & Magi nomen ad Eos transferri cœpit, qui fœdere cum Diabolo facto illusiones aut maleficia exercerent, illudq́ apud vulgus odiosum fecit colluvies impostorum, propter Smerdis proditionem ac invidiam diu infensum, ut* Scaligeri c. l. *verba sunt.* Vox à Persis & Chaldæis ad Græcos & Latinos *manavit, ut hodiè vulgatissimus ejus usus apud eos obtineat. Apud* Herodotum *vox Magi vox nationis est, quæ olim Mediam inhabitavit. Apud* Epiphanium *vox gentilitia hominum ex Arabiæ quadam regione est, quæ Magodia vocetur.* Sed nec *ista regio uspiam ab aliquo notata aut descripta extat,* nec *derivatio quadrat, nam Magodius dicendum, nec similis analogiæ exemplum reperitur. Apud Græcos* μαγωδία *mimica assimilatio, &* μαγωδὸς *mimicus assimilator est, qui utriusq́ sexus personas assimilare novit.* Quidam *Græcam vocem esse volunt, ut* Author Etymologici, Eustathius, Rabbinus aliquis, Author Aruk, *& alii, unde à* μάσσω, *pingo, subigo, derivant, &* μαγὶς *mensa, tripus, vel instrumentum coquinarium, unde perimactæ vilissimi homines dicuntur. Sed* Græcis *authorib. ut* Homero aliisq; *vox planè ignota est, &* Herodotus, Strabo, Xenophon, Suidas, Plato, Laërtius, aliiq; Persicam *vocem esse observant, inde ad Græcos & Latinos traductā. Et Græci cum de Persicis rebus magum dicunt, sapientem notant: Cum de Græcis, maleficum & incantatorem. Unde* μαγεύω καὶ μάγευμα, t. 14. *Ab Hebræo* מְהֹגִים *sapientes, meditabundi, deduci possit, quod est ab* הָגָה *meditatus est, volutavit.*

lutavit. Plinius l. 30. c. 1. *Magiam primùm à Medicinâ natam ait, salutari specie irrepsisse, velut altiorem sanctioremq́ aliquam medicinam: Postea promissis suis addidisse vires religionis, & artes Mathematicas miscuisse, nullo non avido futura de sese sciendi, & ea è cœlo verè peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum adolevisse, ut hodieq́ in magnâ gentiū parte prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet.*

14. Æquipollens deniq; significatio *etiam varia est, & Magi à Magiâ denominati variis appellationibus insigniuntur. Dicuntur Magicæ actiones interdùm* act. Sathanicæ, actus divini à divinando, q. divinatorii, *pythonici, à pythone, incantationes, præstigiæ, fascinationes, necromantiæ, & corruptè negromantiæ, divinationes, curiosa & curiositates* V. t. 4. Ars Atracia, *non ab atro calore, sed* Athrace *quodam, qui primus Magiam in Thessalia tradidit, ut* Beroaldus in Apulei. d. asin. aur. *observat. Fortè German.* Schwartze Kunst *inde sumptum*, t. 15. *Græcè* μαγεῖαι, Act. 8. V. t. 4. γοητεῖαι, μαγεύματα, τὰ μαγικὰ, ἐπαοιδαὶ, ἐπαοιδίαι, *ab* ἐπάδω, *Incanto, carmine obligo, unde* ἐπαοιδὸς, *Incantator*: φαρμακεῖαι, *unde* φαρμακεὺς, *veneficus*, μαντεῖαι, *unde* μάντις καὶ μάντης, *augur, sortilegus*, κρύφια, *occulta, unde* κρυφιασταὶ, *occultorum cognitores, quomodo Magos Pharaonis* Aquila *reddidit in Græcâ versione* Exod. 7. v. 11. In veteri Glossario *striges etiam* λαιστρύγονες *vocantur à* Lestrigonibus Homeri *antropophagis, quòd infantes rapiant, occidant, coquant, devorent.* Hebræi *variis nominibus Magos & Magica circumscribunt, unde & Magia ut abstractum variè nominatur. Appellant enim* אוֹב, *pythonē*, יִדְּעֹנִי *sciolum*, Lev. 19. v. 31 נַחֵשׁ, *Conjectionem, augurium*, חַרְטֻמִּים, *Magos*, Gen. 41. v. 8. 24. מְכַשְּׁפִים *præstigiatores*, Exod. 7. v. 11. *A* כִּשֵּׁף *præstigiari. Quam vocem Magis ex Oriente venientibus* Matt. 2, *in versione sua Hebræâ N. T. accommoda-*

modavit Seb. Munsterus: *Culpam ob id ei adscribente* Maldonato, *sed facilè eam diluente* Casaubono Ex. 2. c. Baron. s. 10. *aliisq́; nominibus, quorum tamen quasdam differentias esse certum est, ut* quædam *magis consultationes, fascinationes*, alia *magis præstigias, incantationes, fascinationes*, alia *magis illicitas divinationes*, alia *magis omnem Magicam in genere notent & exprimant, prout ex usu vocum in sacris patet. Veluti & apud* Latinos *vocibus Magorum varia discrimina intercedunt.* Magus *generaliter notat, qui ope Dæmonis & pacti cum eo aliquid perficit, sive id reale sit, sive apparens & præstigiatorium.* Schwartzkünstler / Præstigiator, *qui oculos hominum illusione dementat, ut videre se putent, qvod reverâ non vident.* Dictus *à præstringendo, qvòd oculos præstingat, unde præstigium sensuum & oculorum delusio est.* Betrieger / *Dicitur & Circulator.* Necromanticus, *& corruptè Nigromanticus, qui manes & umbras defunctorū evocat, ac illis ab responsa exposcit,* Todtenfrager. Ariolus, *qui quamcunq́; divinationem exercet, cujus variæ species, per Crystallum, speculum, vitrum politum, aërem, ignem, terram, aquam, pelvim, clavē, tripodem, & alia, quæ apud* Peucerum & Ciceron. de divin. Boisardum de Magia & divin. aliosq; *videantur:* War & Weissager / *Et veriùs* Unwar & Lügensager / *dicitur &* augur, aruspex, divinus, *q. Deo plenus, qvod divinitate se plenos fingant, indeq́; futura conjectent: Apud Veteres* Romanos *mulieres divinatrices* Verratrices *dictæ, qvod verum divinando tricarent, & divinandi scientiam profiterentur.* Incantator & Epodus, *qui Dei aut Sathanæ verbo, aut character. vel ceremoniis adhibitis Spiritus, animalia, homines vel arma incantat, ut lædere aut vim suam exercere nequeant, sed incantantis imperio & usui subesse cogantur. Sic cum virilitatem hominib.*

minib, impediunt, ut congredi, generare, semen fundere nequeant. Beschwerer/Nestelknüpffer/Teufelsbanner. Veneficus, *qui illicitis mediis Sathanæ ope frumentis & animalibus noxam infert.* Zauberer.

15. Pytho vel Python, *qui responsa, Consilia, visiones repræsentationes, & similia à Sathanâ exquirit, Et pythonissa, mulier talia exercens, ut illa, quæ Samuelem Sauli repræsentavit,* c. 3 4. Geist vnd Seelenwecker. Sortiarius & sortilegus, *qui in illicitâ actione divinatoriâ sorte ad investiganda futura utitur, & superstitiosâ observatione physica causa destituta nititur.* Glücksucher/Loßforscher/*Interdum,* Glückstöpfer/ *quod ex ollis aut vasib. chartulas complicatas acceptanda rei notam ferentes extrahant, & sic fortunia quærant.* Interdum talorum jactu, *interdum numerorum & scripturarum exploratione, avium volatu, garritu, & similibus desumitur, & apud* Romanos *sortilegia famosa admodùm fuerunt.* Lamia *à* λαμὸς, *ingluvies dicta, quòd devorare homines antiquis credatur, quæ diaboli præstigiis fascinata varia ope ejus efficit, aut efficere putatur,* Hexin/Vnholde/ Strix & striges *à stridore & avib. infaustis dictæ, quæ infantes fascinant, sanguinem extrahunt, carnem emaciant & perimunt.* Blutsaugerin/Kinderplagerin. *Has etiam* volaticas *vocare solent, ut* Beckmannus in Lexi: voce strix *annotat.* Sagæ *à præsagiendo dictæ, Ridiculè enim à satisagendo derivantur, quasi in impio suo negotio satis diligentes sint, cum* Binsfeldio Comm. in tit. d. Malef. & Mathemat. Not 5. *quæ de amissis aut futuris ex Crystallis, speculis, circulis, aliisq; ridiculis divinent.* Warsagerin/Weissagerin/Kluge Fraw. *Omnes hi communi nomine* magorum & Magarum *comprehendi ac enuntiari solent, etsi species interdum inter se differentes contineant.* Magus *generar-*

neraliter ratione pacti cum dæmone, præstigiator *ratione variarum repræsentationum*, Necromanticus *manium evocatorum*, ariolus *divinationis*, Incantator *adjurationis*, Veneficus *intoxicationis*, Python *Sathanicæ consultationis*, sortigelus *illicitæ observationis*, Lamia *Sathanicæ confœderationis & illusionis*, strix *fascinationis*, saga *præsagitionis ratione dicitur*. Interdum *Magus etiam Thessalus, Chaldæus, Genethliacus, mantes, Latinis vocatur, quod partim gentes quædam istis actib. famosæ, C.2.t.12. Partim quædam illis analoga sint, ut Genethliaca, quamuis & diversa ab illis sint*. C.12. *Veteres* Longobardi *sagas Mascas suis legibus vocant, vel qvod in conventibus suis larvis se tegant, quæ masque vocantur, Vel qvòd deformes instar larvarum, ut* Remig l.1. Dœm: c.18. *tradit. Apud Scythas Sortilegi* Bachsi *dicti sunt, ut* Idem c.16. ex Belloforesto tradit. *Apud* Tectosages *sagæ fatilieres, q. fatidicæ, fatiloquæ, aut fatificæ, qvòd fatum, h. e. pernitiem & mortem inferant, dicuntur, ut* Tolosanus, l.34. C.1. n.12. *notat. Apud Gothos Magos Adelrunas sermone patrio vocabant, ut idem* C.14. n.4. *notat, unde nostrum Germanorum* **Allraun / vel Allraunchen /** *de radice quâdã, quã ad incantationes sagæ adhibent, & quandoq́ vendũt. Per periphrasin Magi dæmonis vasalli ligii, Impietatis candidati, fidei & honesti prodigi, Sathanici venenarii, sagæ, Magicię volatica monstri agmina Thessalicos non inficiantia rhombos, & similiter vocari queant. Germani* **das wütende Heer** *vocant*. V.C.4.t.10.

16. Germanis *magicæ actiones* **Zaubereyen / Zauberwercke / Teufelswercke / Unholdenwercke / Verblendungen / Schwartzkünstlereyen / Schwartzkünste /** *& similiter appellantur. Magi & Magæ,* **Zauberinnen /** *quam vocem à Zoroastre primo Magiæ inventore & excultore*, C. 2. t.12. *deductam quidam volunt, quasi* **Zoroasterin /** *aut Zoborastres,*

stres, *unde* Zoberer/Zauberer/*quomodo* auff *&* of *in dialectis Germanorum miscentur*, *ut* Stumpfius l. 1. von Zauberey c. 2. *putat*. Hexinnen/Hexen/*à Reginâ quâdam Amazonum apud* Aventinum l. 1. Ann. Boj. Zeilerum in Tragic. histor. f. 85. Unholden *quasi on* Huld/denen niemand hold ist/Trutten/vnd Truntenen/*vel à* Treuen/*minari*, *quòd hominib. noxia minentur*, *vel* Truidis & Druidis *Veterum Germanorum & Gallorum doctoribus*, *qui Druidæ vocati*; *Vt* Heurnius in Indico, & Alstedius in Historica c. 10. *testantur*. *Quanquam alii pessimè indè denominari putent*, *cum isti liberalium rerum*, *ut Physicarum*, *Astronomicarum*, *Medicarum*, *& Politicarum Doctores & Magi Physici*, *non diabolici fuerint*, *ut* Meyfartus l. 1. de ref. Acad. c. 1. *Non tamen omninò vanū est*, *qvod de illis ut Magis etiam Sathanicis dicitur*. V. C. 8. t. 7. Wickhersen/*à Saxonico* Wicken/*quod idem ac* Warsagen: Warsagerin/Zeichendeuterin/Wettermacherin/Nachtfrawen/Zauberweiber/Geistweiber/Segner/Gabelreuter/Loßleger/Gifftköche/Betrieger/Landschweiffer/Schwartzkünstler/Chrystallenseher/Beschwerer/Planetenleser/*Interdum* Weise vnnd gute Leute/*per antiphrasin* ap. Stumphium de Zauberey/l. 1. C. 1. Larven/*qvod lamiæ in conventib. suis sæpè larvis utantur*, t. 15. *Itali Iannara*, *Incantarice*, *strea*, *striga*, *maga*, *fattureia*, *Hispani bruxa vocant*.

17. *Ita* & nomen Magicarum actionum *discussum*: *Restat præcognitionis quasi loco aliquid* de utilitate ac necessitate doctrinę hujus *in Ecclesiâ subjungatur*. *Necessitas doctrinæ patet*. 1. Ex rei ipsius conditione, *quia Magicas actiones dari certum est*, t. 2. seq. *Magna etiam de essentiâ & qualitate earum concertatio apud* Philosophos, t. 8. Et C. 2. t. 3. seq.

De

De vi & efficaciâ apud Theologos, *morbis ex iis ortis apud Medicos, indiciis, probationibus, & animadversionibus in eos apud* JCtos & Politicos *quæstio est, frequens etiam & quotidiana de Magis & Sagis apud plerasq; gentes mentio & querela est*, t. 7. *necessum omninò scire est, quid & quantum de Magicis sentiẽdum sit, & quomodo in toto isto negotio dextrè procedendum, ne aut nimium, aut nimis exiguum, ac par est, vel de actibus ipsis, vel Magorum pœnis asseratur.* 2. Ex Scripturę attestatione, *quæ Magorum & actionum magicarum meminit*, t. 2. 3. seq. *Quorum autem Scriptura meminit, ea Christianum diligenter scrutari necesse est, juxta mandata*, Joh. 5. v. 39. Colos. 3. v. 16. *Necessitas autem non absoluta hic, sed respectiva ratione melioris & uberioris doctrinæ ac eruditionis est intelligenda, cum simplex Christianus multis horum carere possit, ut in simili* Tract. de notit. naturali: C. 1. t. 18. dictum. Utilitas doctrinæ hujus partim *ex meliore nostrâ informatione elucet, ut nos accuratiùs, pleniùs, & distinctius de toto hoc negotio informemur*, partim *ex practicâ directione, ut etiam inde Iudicia Dei meliùs agnoscamus, quid ille Sathanæ interdùm permittat, quantum hominibus per sagas immittat, & quomodo ex casib. illis iterum eripiat, & consequenter etiam cognoscamus, quomodo nos in talib. actibus erga Sathanam, præcipuum totius negotii architectum, munire, erga larvas ejus, sagas ac lamias gerere, cum illis, si negotium nobis obveniat, procedere, & in totâ re providè nos precibus, devotione, attentione, animi firmitate, erga seductas mulieres commiseratione, & in viam reductione conformare debeamus, ut tanquam veri Christiani nos geramus, & finem utilem ac salutarem inde assequamur, Deoq; tandem liberatori in filio ejus devotas gratias persolvamus.*

CAPUT

CAPUT II.

De definitione Magicarum Actionum.

POst existentiam & *nominalem evolutionem Magicarum actionum* ipsa rei tractatio *succedat, quæ absoluta & respectiva esse poterit.* Absoluta *in definitione, Causis & principiis, attributis, effectis, subjecto, & speciebus seu modis, quibus variari ea possit.*

2. Definitio *Mag. actionum hæc sit:* Magicæ actiones sunt actiones transeuntes, interventu Magi expeditæ, quarum principium est Sathanas pactum cum homine habens, eumq; dementans vel seducens, & finis ex intentione ejusdem Dei ignominia & hominis perditio est.

3. Genus est vox actionis transeuntis, *ut in complexis simplex pro genere complexi esse solet, ut Corpus mistum, simplex, est corpus, substantia corporea, spiritualis, est substantia, Actio immanens, transiens, perfectiva, destructiva, est actio: Sic hic,* Magica actio est actio. *Actio* est agentis in patiens exsertio & influxio, ut in Metaphysicis *docetur. Estq;* alia immanens, *quæ in agente ipso manet & terminatur, ut speculatio: alia* transiens, *quæ extra agentem in alio terminatur. Vt combustio; Verberatio. Vt specialiùs genus determinetur, sub quâ specie generali actionis Magicæ actiones contineantur, additur, esse* transeuntes. *Actiones Magicæ* non sunt immanentes *in agente, Sathanâ, Prout Intellectio, Volitio, memoratio, electio, reprobatio, manent, quæ in angelo quovis, & sic etiam Sathanâ, locum habent,* V. Michaelia t. 27. seq. *Sed* transeuntes ab & de eo in Sagas, magos, *& per hos interdùm in homines, bruta, elementa, &c. Vt ex speciebus actionum Magicarum*

rum patebit, C. 4. t. 1. seq. Differentia in cœteris verbis continetur, & partim *ab agendi modo ac processu*, *partim principio*, *unde actio*, partim *fine sumpta est*. Ex agendi modo *ac processu dicuntur actiones interventu Magi expeditæ*. *Actiones Magicæ sunt actiones*, *non quæ à solo Sathanâ sine hominis interventu ac pacto cum eo proficiscũtur*, *ut cum aërem pro se turbat*, *tempestates ciet*, *nõ ad hominis pactũ cum eo habentis postulatum*, V. Job. 1. v. 16. 19. *Sed quæ homine interveniente à Sathanâ expediuntur*, *ut* vel *in ipsis Sagis ac Magis expediantur*, *ut cum varia somnia in illis inducit*, *ad Choreas & convivia eos quandoq́. exportat*, *variis præstigiis sensus eorum perstringit*: vel *per Magos in hominib. aut jumentis perficiantur*, *ut cum morbos & cruciatus immittit*, *conjugatos ligat*, *infantes effascinat*, *jumenta perdit*, *&c. Tales propriè hic magici actus dicuntur. Cœteri magis dæmoniaci*, *angelici*, *ac Sathanici*, V. C. 1. t. 12. *Ex principio actionis dicuntur* actiones, quarum principium est Sathanas pactum cum homine habens. *Actionum Magicarum principium non est* divinum, *ut in miraculis Christi*, *Apostolorum*, *Prophetarum*, *aliorumq́. sanctorum Dei virorum*: Nec naturale, *quomodo aqua liquefacit*, *ignis urit*, *homo ratiocinatur*, *leo rugit*, *ruta*, *salvia*, *theriaca*, *venena pellit*, *Multa n. in actib. Magicis supra Naturæ circum sunt*, *ut ignotas linguas momento temporis callere*, *ad dissita loca momento pervolare*, *ex remotissimis locis brevi spatio gesta referre*, *&c.* Nec artificiale *legitimæ alicujus proprieq́. dictæ artis*, *quomodo horologia horas indice & sonitu campanæ notant*, *aquæ ductus aliaq́. mechanica materias recipiunt aut deducunt*, *non enim Magica inter veras artes sunt numeranda*, Vt t. 4. *patebit*: Sed Dæmoniacum, *à Dæmone malo ut primo efficiente ortum*, *ejus ope*, *juvamine*, *instinctu*, *motu*, *per Magos & Magas perfectum*,

ctum, semper enim hic, qualiscunque actio sit, quam Saga, ut talis præcisè est, molitur, summa actionis ad Sathanam referenda, etiamsi tandem una aut altera res naturalis simùl adhibeatur, quæ per Naturam sui effectus suos naturales edat, ut in morbis curandis, V. C. 9. t. 19. 24. *Sic etsi sermo hominis interdùm concurrat, & sermocinandi facultas homini naturalis sit: ad istum tamen effectum, qui sermone intenditur & perficitur, ut Sathanæ instrumentum concurrit, efficacia ad actum à Dæmone est, ac sic tota actio Magica & Dæmoniaca est.*

4. Quidam *tamen Magicas actiones ad artes revocare volunt, & Magiam inter artes recensent.* Delrius l. 1. disq. Magor. C. 2. *eam facultatem seu artem definit, quà vi pacti cum dæmonibus mira quædam & communem hominum captum superantia efficiuntur.* In Jure Civili Cod. d. malef. & Mathem. Libr. 9. Tit. 18. leg. 6. *Magicæ & malæ artes vocantur. Quod & ratione regularum ac præceptorum, quibus Impietas utatur, & fraudium ac dolorum, qui artes in jure dicantur, fieri* Tholosanus *dicit*, l. 34. Syntagm. c. 3. n. 1. Gratianus in jure Canonico Caus. 26. q. 2. *C.* 6. ex Augustino l. 2. d. doct. Chr. *C.* 19. 20. 21. 23. *artes vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis Christiano repudiandas ac fugiendas vocat.* Lactantius *artes dicit* l. 2. Instit. *C.* 17. *In Sacris* Sap. 17. v. 7. *Magicæ artis ludibria memorantur. Et per artes curiosas* Act. 19. v. 19. *Magia ab Interpretibus intelligitur,* V. t. 4. Quidam *per* fürwitzige Kunst/ *reddiderunt, ut* Lutherus, *Etsi in Græco tãtùm Curiosa sint.* Conimbricenses proëm. Dial. q. 1. a. 3. *maleficas artes reverâ artes esse contendunt.* Stumphius l. 1. d. Zaubereyen/C. 3. Et Jacobus Rex l. 1. dæmonol. C. 2. 3. 4. seq. *Et passim,* Hemmingius ap. Gœdelman. de Sagis l. 1. c. 7. n. 16. Pomponatius de incantation. c. 5. 6. Virgilius 4. Æneidos,

ubi ait, Testor chara Deos, & te germana, tuumq; dulce caput, Magicas invitam accingier artes. *vulgò* schwartze Künste & Teuffels Künste *dicuntur*, C. 1. t. 16. *Alii negant inter veras artes numerari posse, ut* Schultetus de Zauberey C. 1. Iidem Conimbricenses in proëmio libr. Phys. q. 2. a. 4. Thomas & Albertus M. apud Eosdem c. l. aliiq; *Et Nos etiã olim negavimus*, disp. d. cogn. hum. t. 25. Et revis. disp. t. 32. *Ac adhuc negamus. Et rectiùs hoc. Qvod* & ex *generali artis definitione* Luciani, & *ex speciali A*ristotelis *patere potest*. Ex generali Luciani *definitione ars est cõprehensio præceptour homogeneorum in vitâ utilium*. V. d. 1. Log. repet. t. 15. *Magica notitia non talis est. Nam* nec *præcepta inter se justè sunt ordinata*, nec *ad unum homogeneum objectum & finem adeoq; corpus aliqvod satis distinctè traducta*, nec *utilitatem in vitâ habent, sed potiùs pernitiem hominum spectant & inferunt, eoq; à Sathanâ intendunt*, Nec *verum objectum scibile hîc esse potest, cum Magici actus sæpè meris præstigiis ac fallaciis ludant. Artis vocem omnes* Philosophi *inter laudanda, honesta, & licita numerant, & artificem in præstantib. ac præmio dignis habent. At* Magica *omnes prudentes inter nefanda ac obominanda habent, quæ nec disci debeant, & si exerceantur, pœnam secum trahant.* Ex speciali *A*ristotelis*patet 1.* Quia *ars hoc modo sumpta est habitus operis realis & externi per instrumenta corporea effectivus*, ut C. l. t. 16. 17. *ostensum. Sed Magiæ opera sæpè sunt illusoria & phantastica, non realia.* 2. Quia *ars est habitus cum rectâ ratione effectivus. At in Magico opere plerumq; ratio distorta, non recta, & somniis, phantasmatib. furore, prodigiosis ac monstrosis imaginationibus & nugamentis tota corrupta est, ut hoc & illud se elicere videantur, cum profundo somno interdum demersi jaceant, nihilq; verè efficiant*, ut C. 4. t. 17. 18. *patebit.*

5. 3. Quia ars *omnis propriè dicta in opere honesto & naturâ sui licito versatur. At magici actus in operib. inhonestis & illicitis versantur*, tam *ratione principii, pacti cum dæmone, qvod horrẽdum in homine & Christiano est*, C. 3. t. 8. Quâm *processus, qui sæpe per illicitas materias, ut carnes infantum, cadavera effossa, furcis ablata, venena & res noxias, ritus & ceremonias stolidas, impias, ridiculas, perficitur*, Et finis, *qui magnam partem hominum & jumentorum perditio est*, C. 3. t. 18. 19. 4. Quia *ars instrumenta ad operandum licita, operi ipsi idonea & proportionata, requirit. Sed in Magiâ sæpè instrumenta sunt illicita, & abominanda, ut adjurationes Dæmonum, manium evocationes, horribiles nominis Dei & aliarum sacrarum rerum profanationes, vanæ ceremoniæ & ritus nihil ad operationem conducentes, nec vim naturalem efficientiæ proportionatam obtinentes, sed futiles, otiosæ, impiæ, stultæ, paradoxæ, & illicitæ phantasiæ, quib. Dæmon Magis suis nimis credulis illudit, ut* C. 4. seq. *patebit.* 5. Quia ars *omnis ex veris, legitimis, & solidis naturæ principiis, observatione, inductione, & experientiâ animadversis, constitutis, probatis, & conservatis, eruitur, secundùm regulas certas distinctè & ordinatè repræsentatur, ordinariè nonnisi usu, operâ, & studio acquiritur. Sed Magia ex vanis Dæmonis suggestionibus, mendaciis, fallaciis, præstigiis innumeris, & ceremoniis futilib. ac multis superstitionibus, non certis regulis, sarcinata est, eoq́ ab authorib. suis congesta, ut varia mendacia, futilitates, superstitiones, præstigiæ, veris sint commista, imò potior ejus pars in phantasiis consistat*, C. 4. 5. 6. *Sed quæ in verâ arte proponuntur, omnia vera, nulla falsa, ficta, & præstigiosa esse debent.* 6. Accedunt authoritates *prudentium, Magica pro artib. non agnoscentium. Sic* Plinius *Magiam falsam artem vocat., quam Nero dereliquerit, quamq́ eum, ut quæ nulla sit, Tyridates Ar-*

meniorum Rex docere non potuerit. V.C. 1.t. 8. Curtius l. 7. c. 4. *Cobarem aliquem Magicæ artis*, si modo ars sit, non vanissimi cujusq; ludibrium, *magus professione, quàm scientiâ celebrem fuisse ait.* Sculterus *apertè negat, se Magica per artes definire velle loco* t. 4. *citato.* Stoici *omnes artes in Virtutibus numerârunt, ut* Conimbricens. c. l. a. 3. *tradunt. Magica a. in vitiosis sunt. Et sic à Stoicis ex artib. exclusa.* Aristoteles 6. Eth. c. 4. *artem inter virtutes intellectus recensuit. Vitiosa ergò, qualia Magica, inter artes referre non potuit.* Plutarchus l. de fortunâ *artes semina quædam rectitudinis in communem vitæ utilitatem inspersa esse ait. At Magica talia non sunt.* Conimbricenses proëm. Phys. q. 2. a. 4. *Magiam non artem, sed artis abusum ajunt. Idem sentit* Thomas qvodlibet. 4. q. 9. a. 1. Albertus M. 1. Eth. Tr. 3. C. 2. Jacobus Rex Angl. l. 1. Dæmonol. C. 6. *scientias non permissas aut concessas abusivè scientias nominari ait, veriusq; ignorantias ac inscitias dicendas esse. Nam hominem pictum hominem non esse. Ad eundem modum de arte dicendum erit, & sic Magica artibus excludenda erunt. Qvamvis* Idem author *sæpius artes vocet.* V. t. 4.

6. Dices 1. Liber Sapientiæ c. 17. *expressè Magicas artes voat*, V. t. 4. R. Scriptura *sæpè ex vulgi sensu & communi usu de rebus loquitur, & ita res appellat, ut vulgò appellari solent, non quòd reverâ tales sint, sed qvòd communiter pro talib. habeantur. Sic expansum aëris cœlum nominat*, Gen. 1. v. 6. 7. 8. Lev. 26. vers. 20. Deut. 28. vers. 23. 24. Matth. 6. v. 26. *Non quod verè tale sit, sed qvod vulgò pro eo habeatur. Cœlo columnas tribuit,* Job. 26. v. 11. *Et terræ,* Job. 9. v. 6. *Cui etiam pedamentum, angulos, lapidem angularem, extremitates, & mari januas tribuit,* Job. 38: v. 6. 8. 13. *Vento pondus,*

Job.

Job. 28. v. 25. *Deo membra corporea passim tribuit, Os, nasum, oculos, aures*, Psal. 18. v. 9. seq. *Lunam luminare majus vocat ex apparentiâ*, Gen. 1. v. 16. *Cum plurimas stellas, ut primæ magnitudinis, longè eâ majores esse certum sit, Quæ omnia ab accuratâ veritate procul esse scimus. Sic & Magica artes vocet, quia communiter pro talibus habentur, sicq; appellantur. Non indè sequi necessum est, in accuratâ rei consideratione pro propriè dictis artibus agnoscenda esse.* 2. Communis sententia *Magiam inter artes connumerat. At publicæ & regiæ viæ non facilè obsistendum.* R. Per publicam viam ne incedito, dicebat Pythagoras, *h. e. Vulgi errores non subsequitor. Id & hic cogitandum. Communes sententiæ ponderandæ, non sentientium pluralitate numerandæ. Cum vulgò loquendum, ut intelligamur: sed cum sapientibus sentiendum, ut accuratè rem constituamus. Plerumq; enim in rebus Vulgus delirat, ut* solem *festo Paschatis in ortu & occasu subsilire*, lienem *Cursoribus exscindi posse*, hominem *pransum jejuno graviorem esse*, solem *formaliter & habitualiter instar ignis calidum esse, quantitate tricubitalem aut circiter esse, non terrâ multis vicibus majorem esse, quæ omnia secùs se habere accurati rerum scrutatores noverunt. In Astrorum doctrinâ multa Mathematici observant, quæ omnia vulgò incredibilia habebuntur. Vt plurib. alibi dicetur. Publicæ viæ non facilè obsistendum, quando sc. ea tuta, recta, & consummata est: Qvòd si insidiosa, & non satis trita ac plana, aut nimis obliqua ea est, ac compendiosior & directior haberi potest, rectè ab eâ disceditur, aliaq; inquiritur & ambulatur.*

7. 3. Qvod à Mago in *perniciem hominum adhibentur, artium naturam non evertit. Nam & artes contemplativæ ab avaro ad quæstum & lucrum adhiberi possunt, ut Physicæ &*

Mathe-

Mathematicæ scientiæ, nec ob id veræ artes esse desinunt. R. Non ex eo solo *artes negantur, qvod legitimum finem non habeant: sed & qvòd ex solidis principiis, competente ordine, justâ observatione, non procedant, rectæ rationis directionem, aliaq́ propria artis requisita non habeant*, t. 4. 5. Deinde *Physica & Mathematica ad quæstum torqueri prorsùs per accidens & ex vitio subjecti tantùm evenit. Sed magicis noceri hominibus ex primariâ Sathanæ, qui principium Magicorum est, intentione est, qui de eo etiam cum Magis suis per peculiare pactum apertè paciscitur, & hi se in eo strenuos ac obsequentes futuros pollicentur*, C. 3. t. 6. 8. *Quæ omnia non in Physicis aut Mathematicis artibus.* 4. Ars Philosophis *notitia cum rectâ ratione efficiendi id, qvod homini artificialiter est bonum aut malum, definitur, eoq́ modo definitionem Aristotelis explicant.* V. Timplerum C. 4. Technol. q. 4. *At hæc tota definitio Magicis competit.* R. Falsum hoc. *Nec effectio propria operis realis, nec recta ratio semper in Magicis obtinet, sed sæpissimè ludibria & detorsiones*, t. 4. 5. *Et malum in artis definitione non notat, qvod homini noxium est, pernitiem, cruciatus, mortem adfert, Vt in Magicis est, Sed qvod ab artis regulis abscedit, distortum & arti adversum est, etiamsi homini nocivum esse nequeat, Sic qui illegitimas Chordas in pulsandâ testudine tangit, malè quantum ad artem pulsat, malumq́ artificiale, insuave, ac ingratum committit, sed pernitiem homini aut alii id adferre nequit.*

8. 5. Si vitia moralia in arte aliquâ proponi possunt, *nec artis natura evertitur, ut in Ethicâ. Cur non & pernitiosa in habitu aliquo proponantur, salvâ artis naturâ manente?* R. Si vitia in *arte proponantur eo fine, ut exerceantur, Tum & pernitiosa proponi poterunt. Sed vitia in Ethicis non primò & ex fine proprio proponuntur, sed secundò, tanquam Virtutum opposita, &*

ta, & ut cognoſcantur, vitentur, ac abominabilia eſſe judicentur, non ut exerceantur. Sed Magica in Magiâ eò proponuntur, ut exerceantur, hominib. inſidiæ & noxæ inferantur, eoq; pactum Magorum cum Sathanâ tendit, t. 7. Sic Sophiſtica *in Logica traduntur, non ut exerceantur, ſed animadvertantur, deprehendantur, & refutentur, nosq; cautiores evadamus, ne Sophiſtarum* ἐγχειρήμασι *ſeducamur & ſuccumbamus.* 6. Magica, quia naturâ ſui ſcibilia, *etiam in divino intellectu locum habent, & ſic perfectionem aliquam in ſe habebunt. Nec mala ſcire, ſed facere velle, peccatum eſt. Sed quæ perfectionis alicujus intectualis ſunt, ad artem aliquam referri merentur. R.* Magica *in divino intellectu locum habent, ſed non directè & primò, Quia multa præſtigioſa, in ſeipſis impia, ridicula, nugatoria, mendacia, intercurrunt, quæ in Deo locum habere non poſſunt: Sed* conſequenter & ſecundò, *quà omnem intellectus humani capacitatem pervidet, exhaurit, & comprehendit, & ſic in illo etiam, quæ Magicarum notitiarum ſunt, univerſa pervidet. Quomodo & Entia rationis novit, ſed in capacitate intellectus humani, quam totam exhaurit, non propriâ formalitate, quæ variæ imperfectionis, eoq; parum Deo decora eſt, ut in* Metaphyſicis *docetur. Nec quæ naturâ ſui ullo modo ſcibilia ſunt, ſtatim peculiarem artem requirunt. Multa enim curioſa, futilia, impia, & ſtulta ſcibilia ſunt, quæ arte indigna ſunt. Vt currus Myrmecidæ, fluctus numerare, milium terebrare, menſulas nuci includendas conficere, piſum per acum trajicere, quæ nullâ arte digna ſunt. Mala etiam, ſi palàm impia, horrenda, blaſphema, qualia plura in Magicis, ſatius eſt prorsùs non ſcire, quàm noviſſe; Minùs in peculiari arte tradenda ſunt. Sic ille parricidio pœnam non ſtatuerat, quòd ſatiùs neſcire duceret, an tàm immane crimen ab homine committi poſſet. Per-*

fectio, quæ in Magicis est, arti non respondet, & potiùs imperfectio est, cum plurima fallacia ac præstigiosa intercurrant, t. 5.

9. 7. Ad rationem artis *bonitas finis moralis nihil facit, sed artificialis sufficit. Nec refert, quâ voluntate artifex efficiat. E. & artibus maleficis turpitudo* finis nihis adimet, modò in seipsis accuratæ, dextræ, & concinnæ sint. R. Non ex solo fine inhonesto *Magica artes negantur, sed & principio, objecto, ordine, rectâ ratione, quæ hic omnia aliena ac distorta*, t. 7. Magica *ex pacto cum Diabolo humani generis hoste sciuntur. Sed hoc naturâ sui illicitum est. Nec ulla vera ars tale principium agnoscit, Neq; ulla propriè dicta ars finem ex se & propriâ intentione homini noxium & pernitiosum habet. Sed Magicorum finis ex primâ Sathanæ intentione talis est*, t. 7.

8. Si Deus artes homini infundere potest, angelus bonus eas etiam docere hominem potest. Cur soli diabolo id negandum est? *Cum oppositorum, ut Dei & diaboli, eadem in efficiendo ratio esse debeat.* R. Aberratur à statu quæstionis. *Non quæritur, an & Sathanas artes suos homines docere queat, sic enim linguarum & medendi habitum ac naturæ scientiam illis conciliare potest: Sed an Magica, in quibus multa præstigiosa, mendacia futilia, blasphema, confusa, & artium legibus contraria sunt, præcisè artibus accensenda? Hoc negatur. Quæ Diabolus docet, non semper Magica, sed quandoq; Physicalia, Medicinalia, Historica, Philologica sunt. Horum artes aliquas esse certum est. Sed hæc naturalium interventu sæpè expediuntur, non ad Magica strictè dicta referenda sunt. Sic cum* Magus *morbos per naturalia sanat, non actus ex toto Magicus est. Naturalia enim vim sanandi naturaliter in se habent*. V. C. 9. t. 24. Oppositorum *in efficiendo non eadem, sed opposita ratio esse potest. Sic album disgregat, nigrum congregat.*

gregat. Calidum *soluit*, *frigidum stringit.* DEUS bona, *recta*, *ordinata*, Sathanas *mala*, *improba*, *confusa*, *agit.* *Deus infinitè agit*, *ex nihilo creat*, *in nihilum redigit.* *Quorum nihil Diabolus efficere potest.*

10. *Ostensum*, non inter artes propriè dictas Magica numerari posse. *Rectiùs ergò* actiones transeuntes *ex genere dicuntur*, *non determinato*, an artificiosæ dici queant. Principium agendi primum hic est Sathanas, *non Deus*, *Natura*, *vera ars*, *aut angelus aliquis bonus*, t. 3. Et C. 3. t. 3. Conditio aliqua in *principio agendi inclusa est pactum Sathanæ*, *qvod cum homine habet.* *Sine eo enim vel expresso vel tacito actio nulla Magica producetur*, *ut* C. 1. t. 6. plurib. *patebit.* Modus agendi in principio describitur verbis, hominem dementans & seducens. Actus Magicus à Sathanâ in homine vel per eum & cum eo productus est dementatorius & seductorius, *Idq́ frequenter reipsâ*, *ut actus totus in seipso tantùm illusorius & deceptorius sit*, *nihil realitatis in se habeat*, *Et Sathanas varia producere videatur*, *quæ reverâ non producit*, *sed meræ illusiones & sensuum præstrictiones sint*, V. C. 4. t. 15. 18. *Semper autem ex fine & intentione Sathanæ*, *qui hominem seducere cupit*, *ut post patebit.* Ex fine deniq; dicitur, qvòd finis actus Magici ex intentione Sathanæ *hominis perditio sit.* *Hoc enim is intendit*, *ut hominem ita agendo seducat*, *in errores & scelera varia deducat*, *à Deo & divinis rebus abducat*, *sibi totum ut mancipium aliqvod libidinis suæ devinciat*, *tandemq́ temporaliter & æternùm hominem perdat*, Joh. 8. v. 44. *Plurib.* C. 3. t. 17. *hæc patebunt.*

CAPUT III.

De Causis & Principiis Magicarum actionum.

SIc definitio *Magici actus se habeat: Seqvuntur* Causæ & principia. Quæ vel efficientia, vel materialia, vel finalia esse possunt. Efficientia, *à quib. actus Magici oriuntur. Hæc* vel prima vel orta *esse possunt.* Prima vel *magis impropriè,* vel *magis propriè dicta esse possunt. Inter* impropria *Deus permittens esse potest, sine cujus permissu Sathan nihil istorum actuum in homine aut Mago moliri posset. Sed causa hæc non satis propriè dicta efficiens est, potiusq́; conditio agendi sine quâ non vocanda: Cum non statim propriè rem efficere dici possit, quisquis non impedit, cum possit. Qui non impedit,* obicem saltem aliquem, impeditionem remonet, *quo altàs posito res effici non posset, adeoq́; negativè tantùm ad effectum se habet. Qui autem verè efficiens alicujus est, positivè ad effectum influit, eumq́; perficit, ut in* Metaphysicâ *docetur. Non posse autem sine Dei indultu Sathanam quidquam per se aut suos facere exemplo* Magorum Pharaonis *patet, qui pediculos producere non poterant, etsi ranas, serpentes, & sanguinem produxissent, Sed Dei digitum, vim, & efficaciam agnoscere tenebantur,* Exod. 8. v. 18. 19. *Restitit enim Dæmoni & Magis Deus, ne simile quid Mosis operi agerent,* V. Augustin. 3. d. Trin. C. 9. Ut *partim ejus potentia, partim Diaboli imbecillitas apertiùs proderetur, ac ne minima & vilissima Diabolum posse constaret, nisi Deus permittat, eoq́; Deum, non Dæmonem verè nobis timendum esse patesceret, & præcedentia Magorum opera fallacias tantùm fuisse, non veritatem, animadverteretur.*

2. *Absurdè autem* Lyranus *per Deum superiorem aliquem Dæmonem, qui inferiorum Dæmonum operationem per Magiam impedierit, intelligit, cum nec Dei nomen absolutè positum uspiam tali significato in sacris occurrat, Nec præsenti contextui illud quadret. Similiter Jobi bonis aut corpori nocere Diabolus non poterat, nisi priùs indultum Iehovæ accepisset*, Job: 1. v. 12. C. 2. v. 6. 7. *Et porcos ingredi nequiit, nisi veniâ prius à Christo exoratâ*, Matt. 8. v. 31. 32. *Achabum decipere nequiit, nisi Deus priùs concesserit*. 1. Reg: 22. v. 21. seq. *Sic puerum aliquem per Sagam occidere voluit, nec potuit, qvòd signo Crucis & piis precibus ille à parentibus præmunitus esset*. Spineus d. strigib. C. 18. T. 2. mall. malef: *Virginem aliquam monialem ad amores juvenis per Magum pellicere nequiit, qvòd signo crucis & devotione contra eum illa se armaret*. Molitor Tr. d. Python. C. 10. c. l. In Nerone *Imperatore, Cui ingenium, opes, voluntas, studium, Præceptores, abundè fuerunt, Magiæ unicum experimentum Sathanas edere nunquam potuit, cum divinitùs impediretur. Quapropter* Nero *totam Magicem contempsit*. Plin: l. 30. C. 2. V. C. 1. t. 8. C. 2. t. 5. *Magus aliquis inimicum occidere debens omnib. Diabolicis facultatibus consumptis, Sathanam homini isti nocere non posse dixisse confessus est. Sic Sagæ judicibus etiam improbis nocere non possunt, omnibusq; tentatis, ut judicibus mortem inferant, nihil se effecisse fatentur*. Bodinus l. 3. C. 4. *Vix è centenis bini sunt, quib. veneficia Sagarum nocent, ut confessiones earum docent*. Idem l. 2. C. 8. Sennertus l. 6. Pract. p. 9. C. 5. *Lictor enim & carnifex Dei est Sathanas. Carnifex a. nihil sine indultu & licentiâ judicis præstare potest. Sic Magi interdum se hominib. nocere non potuisse confessi sunt, qvòd Deus permittere noluerit, & homines devotis precibus contra maleficia se præmunierint*. Exempla *apud* Stapletonum T. 1. Orat: 1. *vide*.

3. Magis propriè dicta Magicorum causa efficiens prima ipse *Sathanas est, primus & ultimus movens in hoc actionum genere, quarum ipse est principium*, C. 2. t. 3. *Quod* patet 1. Scripturâ, *Quæ Patrem ipsum mendacii, vitiositatis, & homicidam ab initio vocat*, Joh. 8. v. 44. *Ab eoq́, ut primo fonte omnia peccata deducit*, Joh: c. l. 1. Joh: 3. v. 8. 2. Cor: 11. v. 3. Apoc. 12. v. 9. C. 20. v. 2. Ephes. 2. v. 2. *In Magicis autem multa mendacia, & omnia vitiosa intercurrunt.* 2. Ratione. *Quia istorum actuum principium nec Deus, nec Natura, nec vera ars, nec angelus bonus est*, C. 2. t. 3. 4. *Et de bono angelo* t. 4. *patebit: E. Sathanam esse oportet. Aliud enim talium operationum principium esse non potest.* 3. Patrum testimoniis. Ut Arnobii l. cont. gentes, *Magi non tantũ cõsulunt dæmones, sed & quicquid miraculi edunt, per Dæmones faciunt. Illis aspirantibus & infundentibus præstigias edunt, vel quæ non sunt, videri, vel quæ sunt, non videri faciunt. Plura apud* Gratianum in Jure Canonico vide. V. C. 2. t. 4.

4. Alii *diversum hîc sentiunt, & hos actus quandoq́ Deo vel angelis bonis vel animabus defunctis adscribere volunt* ap. Delrium l. 2. disq. q. 2. *Falsò universi. Dei non esse patet* 1. Quia *multa vana, mendacia, ac palàm impia hîc concurrunt, ut patet. At talia Deo tribuere blasphemum est, Cum ipsa prima & essentialis sanctitas sit, ut in sacris & Pneumaticis docetur.* 2. Quia *Deus tales actus in lege suâ prohibet, & puniendos præcipit*, C. 1. t. 5. *At non potest Numen ejus author & effector esse, Cujus est prohibitor & punitor.* Nec obstat, *esse quædam dona & gratias gratis datas, quæ etiam impiis Deus largiatur, ut donum linguarum, sanitatum, prophetiæ. Vt Bileami, Caiphæ, & aliorum Pseudoprophetarum* Matth: 7. v. 22. *exempla docent. Hæc enim dona in se licita & legitima sunt, eoq́ à Deo, ut au-*

ut authore esse possunt. At Magica illicita, vetita à Deo, & illegitima, & sic ab eo esse nequeunt. Isti donis instructi non ad certum tempus, occasionem, ritus, & superstitiosas ceremonias adstringuntur, quod Magi solent, qui si minimum praeceptorum suorum omittant, nihil efficiunt. Nec ista dona aliis per doctrinæ aut præceptorum modum tradi & communicari possunt. At Magicæ ita possunt, Vt constat. Angeli boni non esse, ut Platonici, Jamblichus, Porphyrius, Plotinus, Proclus, Julianus Apostata, Scottus Parmensis Magus aliquis celebris, Glycas p. 2. Annal. Agrippa in lib. d. occult. Philosph. aliiq; *volunt, patet,* partim, *quia Angeli boni non mendacia, præstigias, impietates, blasphemias, veneficia, similiaq; procurant aut efficiunt, cum in bono ita confirmati sint, ut mala velle & efficere non possint, ut in* Michaelib. t. 59. *dictum: At Magica talibus plena sunt:* Partim *quia Spiritus Magiæ authores se adorari, sibi sacrificari, in nomen suum infantes baptisari, sibi offerri, à Deo & divinis homines abduci jubent & volunt. At boni angeli talia prohibent.* Apoc. 19. v. 10. C. 22. v. 9. Partim, *quia Magicis pernities hominib. per furta, homicidia, adulteria, veneficia, infertur. At talia ab angelis bonis esse non possunt, qui per scelera hominum pernitiem quærere & procreare nequeunt, Cum in Sanctitate plenè confirmati sint.* Partim, *quia Magi flagitiosissimi & impurissimi sunt, quorum societate boni angeli uti non possunt, & Dæmonib. suis sæpè imperant, eosq; ad jussa sua perficienda minis interdum cogunt. At in bonos angelos homini nullum imperium conceditur.*

5. Dices, Sathanas non potest *Sathanam expellere, secùs regnum ejus non diu consistet.* Matth. 12. v. 26. Luc. 11. v. 18. 19. *Sed per Magos interdum Sathanas ex hominib. expellitur, morbi à Sathanâ immissi sanantur, ligamenta solvuntur.*

tur. E. hæc ab opposito angelo perfici oportet, qui bonus erit. R. Sathanas non expellit Sathanam per vim & coäctionem, ut *cedere cogatur, qvod Christus fecit*, Luc 8. v. 28. 29. *Benè tamen* per cessionem & consensionem, *ut unus alteri cedat, quo homo in superstitione detineatur, & in animæ exitium præcipitetur, Et sic Magi expellunt. Inde & ridiculas à Sathanâ ostensas ceremonias ac media adhibent, & sæpè morbos & infortunia dissolvere non possunt, qvod Diabolus cedere recuset, ut experientia testatur.* Animarum defunctarum non esse patet, partìm, *quia illæ suis receptaculis tenentur, beatorum vel damnatorum, ut ex* Sap. 3. Matt. 25. aliisq; *locis alibi probatur, inde ad actiones per Magos his in terris edendas non emittuntur:* Partìm, *quia beatarum esse nequeunt, cum multa scelera & impietates hic, quæ à beatis procurari non possunt: Nec damnatarum, quia istæ ex carcere suo, quo semel mancipatæ, nunquam emittuntur, & locus intermediarum, ut purgatorium, confictus, ac Scripturæ & priscæ primæq; 200. seculorum post Apostolos antiquitati planè ignotus est, ut* alibi *docetur:* Partìm, *quia nulla ratio & finis esset, cur Deus animas separatas è suis receptaculis ad tales Magorum actus emitteret, cum per Sathanam eos sufficienter effici certum sit:* Partìm, *quia anima humana semel à Corpore soluta, nullam amplius vim in Corpus aut per illud agendi obtinet, quamdiu soluta manet, sed immaterialiter saltem in semetipsâ actione immanente operatur, ut in* Pneumaticis *docetur. Nec ergò per Magos actus istos transeuntes efficere potest.* Dices: Animæ separatæ post mortem sæpè in terris apparuerunt, *variaq; hominib. indicârunt, aut ab illis postulârunt, ut* Gregorius, Beda, Bernhardus, Turonensis, aliiq; Patres *magno numero docent, & exemplis per singula secula probat* Delrius l. 2. disq. q. 26. s. 5.

E. &

E. & per Magos illa aliqua efficere possunt. R. Istæ *apparitiones omnes suspecta & superstitiosa sunt, Multa etiam ab ipsis* Papistis *rejecta, ut* alibi *docetur. Nec si quadam vera essent, statim ab illis ad Magorum operationes concludi posset, cum ha nec salvatis, nec damnatis animab. justè tribui possint, ut visum, sed commodius primo authori Sathana adscribantur. Et damnatas nullâ Dæmonum licentiâ exire inferno posse concedunt* Papistæ. V. Delrium c. l. q. 2. *Maximè autem his Magica tribui deberent, ut impia & superstitiosa.*

6. Orta principia Magicorum vel remotiora & occasionalia, vel propiora & effectiva esse possunt. Remotiora, *qua motiva esse possunt, ut ad ea descendatur. Hæc humani Ingenii ex corruptâ labe detorsa indoles est, quà* vel *curiositati sciendi indulgetur, & rerum novarum ac abstrusarum percipiendarum desiderium naturaliter Magnis ingeniis insitum ad vetitas artes inflammat, quam occasionem Sathanas ad sibi mancipandos homines celeriter & feliciter arripuit, quomodo ipse ut sagacissimus temperamenta, inclinationes, & affectus hominum subtilissimè odorari potest:* Vel *inopiâ quis premitur, & bonorum cupiditate ad Sathanam decurritur, quomodo multa Saga paupertatis stimulatione ad fædus cum Diabolo ineundum prolapsa sunt, Vt Exempla apud* Grillandum ac Binsfeldium de Conf. Malefic. præl. 15. t. 5. Wierum l. 6. de Lam: c. 9. aliosq; *prostant:* Vel *vindicta in cordibus eorum, qui injuriam passi sunt, profundè radicata cupiditas regnat, ex quâ quosdam etiam ad Sathanam prolapsos esse exempla docent.* V. Zving. in Thea: Vel *mundi & delitiarum ac voluptatum amor, aut mirabilia patrandi;* Vel *præ aliis eminentiam obtinendi ardor eò movere possunt, quod in* Fausto *& aliis contigisse putatur. Quomodo & quosdam* Papas *dignitatis Papalis obtinenda amore ad*

re ad Necromantica conversi sunt, ut t. 12. *patebit.* Propiora, *quæ proxima actionum efficientia aut suscipientia sunt. Suntq́; ipsa subjecta agentia*, Magi & Magæ *actus edentes aut à Sathanâ in semetipsis recipientes, & quomodocunq́; Magiam exercentes, De quib.* t. 11. seq. *in subjectis Mag. actuum videbitur.* Medium aliqvod & conditio ad Magica deveniendi est hominis cum Sathanâ confœderatio, quæ est pactum aliqvod hominis cum Diabolo initum, *apertum vel tectum, explicitum vel implicitum, manifestum vel clandestinum, quo homo se suaq́; Diabolo in fidem & imperium ejus addicit, & Sathanas vicissim variè se suos beaturum, hostes ipsorum ulturum, promittit. Et sine tali pacto in Magicorum notitiam aut societatem devenire non datur.*

7. *De hac confœderatione quæritur*, 1. An realiter ea à Magis peragatur, an saltem phantasiis in capite Magorum à Diabolo excitatis constet? *Modum confœderationis* Gœdelmannus l. 1. d. Mag. C. 2. n. 8. *Ceremonias* Delrius l. 2. disqv q. 4. Et Cigogna l. 4. d. Magic. c 3. *recensent.* Wierus l. 3. d. præstig. c. 3. 4. l. 6. c. 11. & Gœdelmannus l. 2. C. 2. de lamiis *totum præstigiatorium censent, etsi de Magis realem contendit* C. 4. l. 2. *Inter lamias distinguendum est.* Suntq́; quædam prorsus melancholicæ & atrobilariæ, *quib. varia somnia in capite & spiritibus confusis excitare potest Sathan: Has tàm in confœderatione, quàm alius variis actionibus à Sathanâ eludi probabile est, qvum* mille *fallendi & artes & nomina ille teneat:* V. C. 4. t. 18 seq. Sunt aliæ *melioris complexionis, & quæ non ex melancholiâ, tristitiâ, dolore, & simili affectu ad Dæmoniaca delapsæ sunt, sed odio, invidiâ, iracundiâ, vindictâ, nocendi libidine, avaritiâ, libidine, voluptatum amoreq́;, scientes volentesq́; se ad Sathanam converterunt, vel juvenculæ & pu-*

& puellæ à matribus ad contractum istum ductæ aut coactæ sunt, V. Remigium L. 2. C. 2. *Et has realiter fœderatas cum eo esse verius est*. 1. Quia *id Scriptura insinuat, cũ impios fædus cum morte ac inferno pepigisse dicit*, Esa. 28. v. 15. *Et capitis pœnam Magis constituit*, Exod. 22. Lev 20. Deut. 18. V. C. 1. t. 5. *Quod fieri non posset, nisi peculiari Dæmonis ope, consensu, & auxilio illi niterentur. Sed istud auxilium nullus sine aliquo pacto cum Sathanâ experietur*. 2. Quia *ratio idem persuadet. Nam Dæmon ut Spiritus, per vim cogi ab homine, ut corpore, non potest, ut auxilietur, & pro placito concurrat. In spiritualia enim nullum hominis imperium. E. per conventionem eum concurrere oportet, quæ ipsa confœderatio est*. Idem *dæmon perpetuus hominis hostis est, ac æterno odio eum prosequitur. E. nihil gratis homini ad placitum præstabit, sed vicissim aliqvod operæ & auxilii sui pretium requiret. At hoc pactum involvit & prærequirit*. Idem *perpetua Dei simia est, ejusq; acta, quantum potest, exprimere conatur*, V. C. 3. t. 18. *Vt ergò Deus in V. T. per circũcisionem, in N. per baptismum fœdus cum homine init, & se Deum ejus, hominem obædientem ipsi futurum stipulatur: Sic in simili Sathanas cum suis fœdere aliquo paciscitur, se illis benè facturum, ipsos sibi obedientiam præstituros*. 3. Quia *experientia per exempla & propria Magorum confessio frequenter & constanter, sæpè etiam spontaneè, sine tormentis edita, id unanimiter testatur, se in fœdus cum Sathanâ consensisse*. V. Bodinum l. 2. Dæm. C. 4. & c. Wierum, Remigium l. 1. dæmonolat. C. 5. *Vbi & notæ eam fœderationem ut signis, Corporis interdum partibus imprimi exemplis multarum ostendit*, Binsfeldium d. Confess. Sagarum, Sprengerum in malleo, p. 2. q. 1. C. 2. Cigognam l 4. d. Magia C. 1. 3. aliosq;. *Exempla ex vita Basilii & aliis in Surrio* T. 1. *allegat* Delrius q. 4. C. l. 4. Quia *authoritates*

Iuris Civilis Cod. de Malefic. & Mathem. Leg. Multi, & Canonici, V. C. 2. t. 4. Patrum, ut Cypriani l. de dupl. Martyrio Augustini l. 2. d. doctr. Christ. C. 23. seq. Tertulliani d. praescript. co. haereticos, Irenęi l. 1. C. haer. C. 24. *Vbi de Carpocratianis Magica exercentib. id t. adit*, Scholasticorum, ut Scholae Parisiensis art. 3. ap. Bodinum praef. Daem. *Variorum item* JCtorum & Philosophorum idē *contestantur*, V. Jacobum Reg. in Dęmonol. l. 1. C. 5. 6. Et Delrium l. 5. s. 16. Ubi Alensem, Albertum M. Bonaventuram, Guidonem, Gersonem, Victoriam, aliosq; *multos allegat*, *Et in processib. Iuridicis contra Sagas compertissimum est. Estq; communis & recepta sententia, Cui temerè recalcitrare immodestum est.* Ipsi Ethnici *fœdus tale agnoscunt*, *ut* Lucanus l. 6. d. bell. civ. Cujus commercia pacti? An habent haec carmina certum *Imperiosa Deum*, *qui mundum cogere*, *quicquid cogitur ipse*, *potest?* *Quæ contra objicit* Wierus c. l. apud Binsfeldium c. l. prael. Et Sennertum l. 6. p. 9. Practic. C. 5. m. 8. *soluta reperias*.

8. 2. An & ritibus, ceremoniis, notis, signis, scriptionib. Sanguinis attestatione, interdum conficiatur? *Omninò, ut & Exempla, & Magorum confessiones docent. Interdum in fronte, palpebris, labiis, sede, dextro humero, fœmore, axillâ, genitalib. nota illa imprimitur*, V. Bodinum l. 2 daem. c. 4. Remigium C. l. Delrium c. l. Cigognam. c. 3. c. l. 3. Quotuplex confoederatio cum Sathana sit? *Duplex*, manifesta & tacita. Manifesta *vel solennior est, quae ipsi dæmoni visibili formâ apparenti fit, Idq; vel immediatè in persona propriâ, vel mediatè in alienâ, Vt. Magi aut alterius intervenientis, quā* Grillandus *tacitam vocat* q. 3. *Cum meliùs ad apertam revocetur, vel minùs sol: sine testibus, vel cum illis.* Tacita, *quae vel*

ex scri-

ex scriptis Magicis notoriè & spontè volenterq́; sumitur, unde superstitiosæ adjurationes & ceremoniæ Magis usitatæ adhibentur, & sic societas cum dæmone facile se, ubi vocatur, sistente initur; Vel ignoranter ex illis sumitur, ac ceremoniæ adhibentur, quæ licitæ & Physicæ vel Theologicæ putantur, non Magicæ esse creduntur. Hoc pactum levius ac obscurius est, At si ignorantia probabilis sit, & monitus facile talib. desistat, leviter irritũ reddi potest. 4. Quomodo ab actibus naturalibus aut divinis & miraculis confœderatio Sathanica distinguenda? *De hoc agetur* C. 11. *t*. 9. *Ubi de Magicorum probationibus disceptabitur.* 5. Quantum peccatũ talis confœderatio fit? *Gravissimum, & quod omnia Decalogi præcepta evertat.* Contra primum *idololatria, apostasia à Deo & infidelitas, & cultus Deo debitus in Diabolum ac creaturam transfertur.* Contra 2. *Horrendæ nominis Dei & sacrorũ profanationes,* Contra 3. *Sabbathi divini violatio,* Contra 4. *Om. superiorum contemptus, solius Sathanæ æstimatio,* Contra 5. *homidicia tecta & aperta,* C. 6 *adulteria, scortationes, pollutiones, comessationes, cum Sathanâ congressus,* C. 7. *furta tecta & aperta per Sathanam expedienda,* C. 8. *mendacia, doli, fallaciæ, præstigiæ, falsa testimonia, perjuria proximo nocentia,* C. 9. & 10. *Concupiscentiæ variorum proximi bonorum committuntur, approbantur, introducuntur, & exerceri permittuntur.* 6. An peccatum in Spiritum S. dici possit? *Si ex plenâ agnitione veritatis & totâ voluntariâ malitiâ fiat, & cum pertinaciâ ac blasphemiâ ad ultimum vitæ finem persistat, potest ita dici. Sic enim peccatum in Sp. S apud* Theologos *describi solet, quòd sit sufficienter agnitæ veritatis Evangelicæ malitiosa & totalis rejectio, cum blasphemiâ & finali impœnitentiâ conjuncta. Si autem ex semiplenâ fidei cognitione fiat, qualis in mulierculis, sagis, lamiis, multisq́; idiotis, quales*

plerique Magi sunt, est, aut ex melancholiâ, terrore, egestate miseria, vindictæ cupiditate fiat, ut sæpè solet, ita appellari non meretur, etsi aliàs satis grave peccatum sit.

9. 7. An propriè dicta confœderatio ea sit? *Non, quia* nec *homo cum Sathanâ, jurato Dei & totius generis humani hoste, paciscendi jus habet, ut qui Deo jure creationis, redemptionis, & reparationis totus jam subjectus esse tenetur: nec quidquam veræ commoditatis inde reportat, ut in omni pacto esse solet, sed multũ damni, quà corpus & animã:* nec *inter sceleratos, ut latrones, fures, seditiosos propriè confœderationem, sed factionem, conspirationem, conjurationem, & rebellionem esse Politici ajunt: Nec juris vel virium aliquid in dæmonem Magus acquirit, aut facultatis insigna aut ceremonias, quib. ex condicto utendum Mago, commigrat, sed omnia simulat versipellis, acsi cogeretur, & spontè perficit, quicquid Magica ista profitetur.* V. C. 7. t. 1. 8. An ob solam confœderationem istam Magus capitaliter puniri possit? *De hoc* C. 11. t. 11. *dicetur.* 9. An ob utilem finem, ut arcanorum naturæ notitiam, varias scientias, morbos maleficos avertendos, & similia acquirenda cum Dœmone fœdus inire liceat? *Id faciunt, qui* Spiritus familiares *adsciscunt, adjurationes dæmonum adhibent, divinationes & sortilegia illicita sectantur, modos imperium in dæmones acquirendi exoptant aut describunt, & similia agunt. Sed hæc non sine infidelitate, idololatriâ, & insigni impietate ab homine peragi possunt, qui Deum etiam ex naturæ lumine novit, ut* Tract. d. notit. nat. C. 5. t. 2. seq. *ostensum, ac qui jure Creationis & quotidianæ provisionis totus jam* Deo, *ut quotidiano benefactori subjectus est, à quo non sine insigni sacrilegio desciscere potest, etiamsi mysteriis Christianæ fidei nunquam initiatus sit aut fuerit:* A Christiano, *qui mysteria fidei cognovit, non sine abominatione cogitari debent, nedum patrari possunt.*

10. 10. An

10. 10. An Deum abnegare dicendi, qui tale fœdus ineunt? Si abnegare specialiter sumatur *pro eam Dei cognitionem excutere, quæ ex speciali verbi revelatione hausta est, quâ Deus ut Creator, redemptor, sanctificator, & glorificator specialiter cum filio & spiritu ejus cognoscitur, sic non omnes fœderati Sathanæ Deum abnegant, Non n. omnes ita eum cognôrunt, ut gentiles, Iudæi, Mahometani, qui sine Deo, specialiter cognito, in mundo esse dicuntur,* Eph. 2. v. 12. Si generaliter pro quamvis Dei agnitionem vel ex naturâ vel Scripturâ sumptam repudiare, *sic omnes Magi Deum abnegant, Facto n. à Creatore ad Creaturam ut summum Dominum desciscunt, Deo debitum cultum ad eam transferunt, & summam devotionem ac obedientiam ei promittunt, eaq; designant, quæ facerent, si nullus Deus existeret, qvod reverâ Deum abnegare dici potest.* 11. An & quomodo irritari talis confœderatio possit? *Potest irritari, idq;* & ex parte Sathanæ, & hominis. Sathanę *ubi is promissa aut tempus eorum non servat, aut aliàs variè Magos suos ludificatur, Prout spiritus mendax & Pater mendacii est,* Joh. 8. v. 44 *Ita sæpè 20. annos se suis inserviturum promittit, & vix 5. aut 10. servat. Exempla apud* Bodinum, Wierum, Grosium, *prostant.* Hominis, *Vbi is à Sathanâ iterùm avertitur, & ad Deum convertitur. Hoc pœnitentia, precibus, jejuniis, aliisq; fidelium exercitiis fit.* Ita *sæpè precibus piorum coactus Diabolus, Vt Chirographum hominum quo se Sathanæ obstrinxerant, referret. Sic* Luherus *aliquando eum coëgit, ut Chirographum studiosi sub concione ad altare projiceret.* Gœdelm. l. 1. d. Sagis. C. 6. *Stetini studiosus aliquis ita liberatus, ut Sathan syngrapham promissam tollere non auderet.*

11. Sic principia Magiæ efficientia: Conservantia & propagantia eam Scholæ, Doctores Magici, libri ac scripta Magica sunt, quibus Magici actus eorumq; modi describuntur

buntur, proponuntur, docentur, & in alios transfunduntur. Scholæ Magicæ *variis in locis usitatæ fuerunt. In Hispaniâ post Saracenorum irruptiones tantum Magia invaluit, ut palàm* Toleti, Hispali, & Salmanticę, *Dæmoniacæ artes docerentur.* Delrius præfat. disq. Mag. Et Tholosanus l. 34. Syntagm. C. 21. In Italia *ad lacum Nursinum & in spelæo Virsigniano auorum memoria celebres ejus Scholæ extiterunt.* Delrius l. 2. q. 1. Badudus *Britannorum Rex Magicas artes passim docuit.* Zvingerus Vol. 5. Theat. l. 4. Cracoviæ *in Poloniâ olim Magia publicè docta fuit, unde eam hausit* Johan. Faustus *Magus.* Camerarius C. 1. c. 70. Thessali *Magicis infames, & magica curiosè ediscebant, ac vicinos docebant,* Polydor. l. 1. c. 22. Ephesii *Magicis dediti, unde ibi* Apollonius *publicè Magicorum ludum aperuit, & ab Ephesiis statuâ donatus inter divos relatus est.* C. 1. t. 4. Carpocratistæ *& Gnostici Magiæ Scholas introduxerunt.* Epiphan. l. 1. c. hæres. hæ. 27. Libri & scripta Magica sunt, in quibus Magicorum materiæ repræsentatur. *Quæ* vel *commentitia,* vel *vera sunt.* Commentitia, *quæ falsò adducta, & alienis authoribus adscripta. Talia sunt libri* Adæ, Abelis, Enochi, Abrahæ, Pauli Cypriani, Honorii, Alberti M. Salomonis clavicula, & 7. Volumina, Liber artis Grimoriæ, apud Delrium l. 2 q. 3. Vera, *quæ à suis authoribus profecta. Vt* Triethemii Steganographia, Agrippę de occulta Philosophia, *quem pleriq; pro Mago habent,* V Jovium in Elogiis, Thomę Eboracensis & Petri de Apono *scripta, quæ Magicorum apud plerosq; suspecta:* Julianus Chaldæus *Philosophus* 4. lib. d. dæm. *scripsit, &* Julianus filius *Theurgicorum author est.* Porphyrius Palladem, Symbolum, Adelphium, Acylinum, Alexandrum, Philocomum, Demostratum, Zostrianum, Nicotheum, aliosq; *allegat, quorum impiis scriptis Gnostici usi sunt.*

De PRINCIPIIS ET SUBJECTIS MAGICIS.

THESIS XI.

PIcus *se Chaldaicos libros Magicos Esdræ & Mechiar Magorum legisse testatur,* Delrius l. 1. c. 3. Zoroaster *Magicos versus 100000. scripsit, qvos Hermippus commentariis explicavit.* Patricius *eos ex Platonicorum scriptis laboriosè collegit.* Zuinger. Vol. 5. l. 4. Antisthenes *Socratis discipulus,* Marcus *aliqvis, & Avicenna, de Magiâ scripserunt.* Idem c. l.

12. *Sic* Efficiens Magicorum *fuit:* Materia eorum vel circa qvam, vel in qva est. Circa qvam varij ritus, ceremoniæ, characteres, *& superstitiones esse possunt, qvibus Magi & Sagæ in suis actibus passim utuntur. Hæc* Sacramenta Diaboli, **des Teuffels Heiligthumb** / *qvidam vocant. Qvibus nec virtus, nec res subest, sed simulatio, qvasi aliter nocere, juvare, aut perficere Sathan non possit, ut homines ita suis rebus addictos teneat.* Objecta item, *circa qvæ actus suos exercere volunt. Qvæ vel inanimata esse possunt, ut aër, aqva, terra, vel animata, ut herbæ, bruta, homines.* Materia in qvâ sunt ipsa subjecta Magica, *Magicis dedita, eaq; exercentia. Hæc* vel integræ gentes, vel singulares personæ sunt. Integræ gentes, *qvæ Magicis infames. Ut* Ephesii C. 1. l. 4. Thessali, Persæ, Romani, *Gallorum Druidæ, Britanni, Cabalistæ, Choatræ ad Moeotim populi, Magi Mathematici cum gigantibus belligerantes, Bothnici Septentrionales, Lappi, Finnones, Biarmi, Tartatorum Hordæ, &c. apud* Zuinger.

ger. Vol 5. l. 4.. Et Beyerlingium T. 5. Polyanth. Voce Magia: *In Gallia Magia olim maximè viguit, ut Triſcalanus Magus ſub Carolo 9. Rege ultra 30000. Magos ibi eſſe Regi aſfirmaret.* Lanſius Or. c Gall. *Indi, Perſæ, Hyrcani, Aſſyrij, Ægyptij, Æthiopes, etiam Magicis dediti.* Boiſardus d. divinat. p 337. in Apollonio. Singulares perſonæ vel Viri, vel Fœminæ ſunt. Virorum *primus Magices inventor & excultor putatur* Zoroaſtres, *qvaſi vivum aſtrum dictus, cum antea Zarades diceretur. Sed* cum multi hoc nomine fuerint, cuinam id verius adſcribatur, *incertum eſt.* Goropius Becanus *nullum fuiſſe contendit. Sed contra fidem hiſtoriæ id eſt, cum multi ejus meminerint, ut patebit.* Primus Chaldæus *fuit, & hic Magiæ Sathanicæ inventor ac excultor exiſtimatur. Qvanqvam* Plinius *Præceptorem ei* Agonacem *tribuit, qvi 5000. annis ante bellum Trojanum vixerit,* l. 30. c 1. Sixtus Senenſis *ac alij bonam tantùm magiam ei tribuunt. Sed contra Hiſtoricorum fidem, qvi omnes Diabolicam ei aſsignant. Hic* Chamus *Noe filius fuit, qvi Magicā artem & alias liberales artes 14. columnis inſcripſit, 7. æneis, & 7. lateritiis, contra duplex, qvod prævidit, Orbis excidium, per aqvam, & ignem. Sed Ninus maximam librorum partem combuſsit, ut Author Scholaſticæ hiſtoriæ tradit. Remanſerunt tamen verſus, de qvibus* t. 10. *Et ante diluvium Magica viguiſſe* Serenus Abbas ap. Caſſianum collat. 8. C. 21. 22. *tradit. Vbi Doctrinam DEI Setho communicatam à Caini poſteris inſtinctu Dæmonum in ſuperſtitiones magicas converſam ait, &* Chamum *laminis & lapidibus eas inſcripſiſſe, qvas poſt diluvium perqvirens ſeminium neqviſsimarum artium ad poſteros tranſmiſerit.* Scriptura *qvidem ante diluvium Magorum non meminit, ſed poſtea* Exod. 7. ſeq. V. C. 1. t. 2. *Fuiſſe tamen eos, & magicam*

impi-

impietatem in impiâ Caini familiâ inter cætera exercitam fuisse omninò credibile est, ex cujus familia Chamus *tandem eam hausit, & post diluvium ad posteros transmisit. Unde* primus ejus Author *putatur, qvia primus post diluvium eam scivit, tractavit, & in suâ familiâ docuit ac propagavit.*

13. Secundus Zoroastres Bactrianus *ille fuit, qvi cum Nino bellum gessit, à qvo Bactrianorum regno pulsus est, tempore Abrahami circiter, 800. ante bellum Trojanum annis, de qvo* Plinius l. 8. C. 1. Justinus, Arnobius. Tertius, qvi & Erus dictus, *sive Armenii filius, juxta* Clementem Alexandrinũ. Arnobius *qvatuor memorat, Chaldæum, Bactrianum, Pamphilium genere, & qvartum Armenium, Hortanis nepotem.* Quintum *fortè addit* Suidas, *cum Zoroastrem Astronomum tradit, & Persomedum fuisse dicit.* Sextum Proconnesium Plinius *adjicit, recentiorem, & qvi circa* Xerxis *tempora floruit. Apud* Persas *enim semper Magica floruerunt. Omnes hi magi fuerunt. Post Zoroastrem infiniti Magiæ cultores extiterunt.* Quidam *in sacris memorantur, ut Magi* Pharaonis, Bileamus, Simon magus, Elimas, *V.* C. 1. t. 2. seq. *Qvidam in Profanis, ut* Teldines, Amphion, Orpheus, Pelops, Pases, Cobares Medus, Curt. l. 7. c. 4. Pythagoras, Gobrias, Numa, Tullus Hostilius, *Theotechnus, Maximus Ephesius, Hearscus, Libanius, Jamblichus, Julianus Apostata, Bajanus, Apollonius Thyanæus, & Manetho Magus, qvi palàm semper præ se contempsit Apollonium, tanqvam qui solis verbis sua, ut ipse, perficere deberet, si in arte perfectus esset, ut Anastasius Episcopus tradidit.* V. Boisard. d divin. p. 347. Othinus & Ericus *Sueci,* Oddo & Hadingus *Dani, aliiq; plurimi, ap.* Zuingerum Vol. 5. l. 4. Beyerling. c. l. *Similia apud Cigognam* l. 4. Magi. c. 1. & 3. *vide.* Faustus, Wagnerus & *similes etiam Magi,*

si tamen vera, quæ de Fau. *traduntur, quæ quibusdam suspecta sunt.* *Ex* Papistis ipse Cigogna l.4.d.Mag. c.8.*de Fausto, ait, mira sunt, quæ circumferuntur, magnâ tamen ex parte conficta. Etiam* Agrippam ac Trithemiũ *plerią; Magis accensent.* Delrius *Archimagum Agrippam vocat* l 2.q.2. *Sed ipse, quæ in libris de occulta Phil. magica per juventutẽ scripsit, in senectute publicâ palinodiâ recantata vult apud* Cigognam c. l. *Multi inter* Pontifices *Magi, & Magicis artibus Pontificatum adierunt. Vt* Sylvester II. Martinus 2. Benedictus 8. Gregorius 7. Johannes 20. & 21. Alexander Sextus, *Vt* Platina, Zvingerus c. l. & Gœdelman. l. 1. c. 2. *testantur. Præstigiatorum, Necromanticorum, Ariolorum, Incantatorum, Veneficorum, Sortilegorum, Magicorum, Curatorum, Lamiarum, exempla apud* Gœdelmannum l. 1. & 2. *de Magis videri possunt.*

14. Fœminæ *etiam plures memorantur, quæ Magicis imbutæ fuerunt. Earum similiter nonnullæ in sacris traduntur, ut Pythonissa in Endor, & puella divinatrix,* V. c. 1. t. 3. 4. *Aliæ in profanis, ut* Arabum *mulieres maximè veneficæ, similiter* Thessalæ, Gothicæ, Lamiæ, Hecate, Medea, Thracia, Circe, Olympias, Caupona ap. Auplejum 1. Metam *Bela, Tetcha, Maga aliqua in Angliâ, Magdalena Crucia, Abbatissa Hispanica, Margareta aliqua, aliæą; apud* Zvingerum c. l. *Francisca Senensis Saga, ex* Grillando ap. Cigognam c. l. c. 3. *Canidia ap. Horatium, Medea ap. Senecam. Lamiarum Exempla apud* Gœdelmannum, Bodinum, Wierum, *aliosą; passim prostant. Interdum pueri & puellæ in societatem criminis raptæ, Dæmonią; ab infantiâ à parentibus in fœdus datæ sunt, ut apud* eosdem *videri potest.* De Subjectis Magicis diversa quæri possunt. 1. An magi verè à Dæmone obsessi dici possint? *Si obsideri dicantur* Generaliter, *qui à Diabolo aguntur,*

aguntur, ejus nutu, auxilio, gubernaculo, cuncta administrant, & in omnibus ab eo duci regiq́; se patiuntur; Ita & magi obsessi dici possunt. Ita omnes graviores peccatores à Diabolo obsideri qvandoq́; dicimus; qvia imperium in eos satis manifestum Diabolus exercet: Si specialiter, *qvi corporaliter à Dæmone inhabitantur, gravissimè torqventur, & inviti imperio ejus subesse coguntur, non. Magi enim spontè in imperium Diaboli consentiunt, cruciatus tales, qvales obsessi, non sentiunt, etiamsi qvandoq́; ab eo exagitentur, indicia obsessionis non produnt, non furore, lingvarum notitiâ, inaudito robore aliisq́; se ostentant, non vinculis aut catenis ut obsessi, constringuntur, justè ob crimina sua suppliciis afficiuntur, qvod obsessi non, cum qvibus potius condolentia, ut gravissimè affectis, habetur. Affirmat* Scribonius in Epist. d. probat. Sagarum & Physica *sua, ut probationem per aqvam commodius statuminet. Sed sine ratione, & probatio ista tota superstitiosa ac Christiano indigna est, ut* C. II. t. 2. *patebit.*

15. 2. An pythones & divini, qvi responsa authore Sathanæ dant, obsessi dici possint? Generali *sensu etiam, qvia imperium satis validum & speciale in eos Sathan exercet:* Speciali *non, ex iisdem rationibus,* ac t. 14. *Obsessi malum à Dæmonibus patiuntur, qvod pati malum non est. Divini vi, consilio, & auxilio Sathanæ in prædicendo utuntur, qvod omninò malum est. Per obsessos, ex illis, & in illis, Dæmones loqvuntur & prædicunt, non per divinos. Hi per se divinant, licet, qvod divinant, à Sathanâ habeant.* Dices: *Utriq́; futura prædicunt.* ℞. *Sed diverso modo.* Obsessi *enim non per se, sed per Sathanam, & hic per ipsos:* Divini *per se & pro se, licet non à se, sed à Sathanâ. Qvæ per* obsessos *Dæmones loqvuntur, obsessis ipsis ignota sunt, & ubi raptus obsessionis cessat, oblita: Qvæ*

 divini

divini à *Dæmone habent, nota & retenta, non aliter, ac quæ hominum revelatione cognoscuntur.* *Quæ* obsessi *dicunt, de illis non prius Sathanam consulunt, sed inviti ad dicendum coguntur, illisq́ ut instrumentis Dæmon utitur.* Divini *nonnisi consulto Sathanâ dicunt, & spantè consulunt, & consulta revelant, ac Sathana velut instrumento divinationis utuntur. In divinando homines Dæmonis operâ utuntur, In obsessis Diaboli hominib. utuntur. Ibi Dæmones Præceptores, hic Rectores & Motores sunt. Ibi actus non sine peccato divinantis est, hic sine eo est.* Divinus *malum gravissimum Sathanam consulendo committit:* Obsessus *malum gravissimum patitur, non propriè & motu proprio committit.* A divinis *justa supplicia sumuntur, non obsessis.* Per Accidens *fieri potest, ut divinus simul sit obsessus, ut puella Pythonica* Act. 16. *Alia quædam sub Maximino Imp. apud* Baronium T. 2. Ann. *Et* alia *sub Hugone Episcopo Linconiensi apud* Surium T. 6. Delphica *Apollinis Virgo Sacerdos & divinatrix, &* Sybillæ *interdùm ap.* Boissardum de divination. aliosqve. *Hocq́ modo divinus* duplex *constitui potest,* vel *qvi inhabitantem spiritum habet, ut obsessus,* vel *qui assistentem, ut divinus. Ille ignota non cognoscit, etsi revelet: Hic revelat & cognoscit. In illo Dæmon in homine loqvitur: in hoc homo loqvitur, sed à Dæmone instructus.*

16. 3. Magi Pharaonis qvi & qvales fuerint? Incantatores, præstigiatores, & harioli *fuerunt, occultorum cognitores & patratores, qvi partìm mira aliqva authore Sathanâ perficere, partìm res in & excantare, partim præstigiis oculos eludere potuerunt, ut etsi res non essent, esse tamen apparerent. Hoc enim Hebræa vocabula, qvibus nominantur, important, V. C. 1. t. 14.* Paracelsus *eos commendat, artemq́ eorum à Deo fuisse dicit, etiamsi Scriptura duriora illis nomina imponat* l. 5. d. morb. invis. *Sed Scriptura aliter de illis,*

nec

nec nomina vanè imponere solet, ut c. 1. *visum.* An malefici etiam fuerint, *qvi animalibus aut frugibus damnum intulerint, incertum est.* Non videtur, *cum apud Regem in gratiâ, honore, ac autoritate essent, quod publicè ac notoriè maleficis obtingere non solet, etsi incantatores ac præstigiatores facilè in Aulis tolerentur, qvomodo* Faustus *aliiq́; magi apud magnates in gratiâ fuerunt, ut libenter eos secum ducerent,* V. Cigognam l. 4. de Magia c. 3. - 4. Nomina eorum, Jannes & Jambres, unde Paulo innotuerunt, 2. Tim. 3. vers. 2? Ambrosius & Origenes *ex libro Apocrypho, qvi Iannes & Jambres inscriptus, cognovisse censent. Rectius vel ex traditione, qvæ tum viguit de re tali, ut historicâ, vel ex peculiari Sp. S. inspiratione id cognovisse dicitur.* 5 An apud Hæreticos semper Magia copiosior, & magi plures? *Ita* Pontificij *censent,* Delrius præfat. disp. mag. Thyræus p. 2. d. Dæmoniac. c. 21. Tholosanus l. 34. c. 2. n. & seq. *Si id verum, qværam, qvomodo tanta Magorum & Sagarum in Episcopatu Moguntino, Bambergensi, Herbipolensi, farrago invaluerit, ut tota penè oppida & pagos ob magiam exuri oportuerit, nec* Canonici, Jesuitæ, Sacerdotes, Consiliarii, JCti, Medici, Nobiles *aliiq́; à crimine immunes fuerint, ut historia an. 1626. 27. seq. annorum testatur.* V. Sleidan. & Meteran Continuat. *Cum tamen hæretici ipsorum sensu dicti nulli ibi unqvam fuerint, aut tolerati sint?* Qvî fiat, *qvod in Misniâ, Thuringiâ, Hassiâ, Norinbergico tractu, pauci aut nulli magi & Sagæ, cum tamen Hæretici istorum sensu istis in tractibus maximè dominentur? Qvomodo in Italiâ, Hispaniâ, Flandriâ, Lotharingiâ, Leodiensi Episcopatu, tàm ingens sagarum copia? Vid.* Remig. Dæmonolat. *In sola Comensi Diœcesi millenarium sæpè sagarum numerus excedit, qvæ ab Inqvisitoribus anni decursu exami-*

examinantur, & sapè ultra 100. singulis annis comburuntur, ut Spineus d. Strigib. c. 13. *testatur, ubi nullus Hæreticorum toleratur? Una Sabaudica natio confertos Magorum greges habet, ut nulla Judicum severitate extirpari qveant.* Danæus Dial. d. sort. c. 1. *Qvomodo ante* Lutherum *& Evangelij renovationem Magorum omnia plena fuerint, Evangelio reducto paulatim superstitio evanescere ceperit?* Experientia *ipsa testatur, comparationem instituendo longè majorem Magorum copiam in Locis Papisticis esse, qvàm Evangelicis, & cum Papismus omnia adhuc inundasset, longè majorem Magorum numerū passim in provinciis fuisse, qvàm cum Evangelium enitescere cepit. Et nullus tamen ibi hæreticus? Et ubi tantus apud hæreticos numerus uspiam deprehensus est? Imò in* Papatu *publicè Magia in Academijs prælecta est,* C. 1. t. 11. *Qvod de nullâ Evangelicorum ostendetur. In* Italia, Gallia, *Spiritus familiares freqventissimi; qvi etiam non ita apud Evangelicos.*

17. 6. Unde Cadaverosus in Sagis interdū odor? *Quia Diabolus utplurimū induto cadavere sive incubus, sive succubus cum illis rem habet, indeq́ graveolentia corpori Sagæ affricatur. Sic aliqvando suspendiosi assumpto corpore conatus est Dæmon exorcistam abigere. Sic Philinnii cadaver velut virum circumgessit, & cum Machate hospite rem habuit,* V. c. 4. t. 22.

7. Cur inter magos plures semper mulieres, qvàm Viri? *Esse ita Exempla & confessiones Sagarum confirmant, cum de conventib. suis confitentur, ubi semper plures mulieres, qvàm Viros agnoscunt.* V. Remigium l. 1. Dæmonol. c. 15. *Ex Veteribus* Fabius *veneficium in fæminâ facilius creditum in declam. docet.* Plinius *in veneficio fæminarum scientiam prævalere* l. 16. c. 2. ait. In lege *de veneficis puniendis* Exod. 22. v. 18. *Vox Hebræa in fæminino posita est, qvòd plures semper*

in

in hoc crimine mulieres, qvam Viri, Qvanqvam vulgatus masculinè maleficos reddiderit. Rabbini in Pirke auoth *proverbialiter dicunt,* qvì mulieres *(in polygamiâ nempè,)* multiplicat, veneficas multip. *Vt qvævis enim præ alterâ marito placeat, etiã per Sagas & veneficia qværunt.* Ratio est, *qvia* partim *sexus naturâ imbecillior est, qvi ad credendum & consentiendum magis pronus, eoq; facilius falli & aliqvò induci potest, indeq; ad seducendum habilior: Sic Evam Sathanas decipere agressus est, non Adamum,* Gen. 3. v. 1. Tim. 2. v. 14. Partim *affectibus iræ, vindictæ, libidinis, curiositatis, magis & inordinatiùs subjacet ac regitur, ut modum non ita inveniat, cum enim Vires Corporis non ita habeat, occultè per maleficia se vindicare qværit:* Et *imprudentia ac stoliditate magis ducitur, ut non consideratè rem attendat. Vnde facilius Dæmon se insinuare, & in casses suos deducere potest:* Partim *loqvacior est, & qvæ mala novit, compares vix celare potest, eoq; ad plures in errorem inducendos paratior est, qvod in suis maleficiis Dæmoni gratissimum est.* 8. Cur Tragicus plerumq; Magorum exitus? *Esse ita experientiâ constat.* Vel *enim Magistratus in manus incidunt, & flammis, gladio, aliisq; modis absumuntur:* Vel *ab ipso Sathanâ vivi abripiuntur & tragicè exanimantur.* Simon Magus *ad preces Petri ex aëre dejectus ossa confregit, & postea expiravit.* Gilbertus Magus *obriguit, & in Insulam lacus Vetter in cavernam ligatus est.* Alius *parietem subiens nusqvam post comparuit.* V. C. 6. t. 21. Alius *à Mago decollatus.* C. 4. t. 19. Zidekias *Magus eqvis discerptus*, Comitissa Andegauensis *viva per fenestram à Sathanâ abrepta est,* Jamblichus *seipsum veneno interfecit,* Empedocles *in flammis Ætnæ miserè periit.* Faustus *gulâ fractâ discerptus in pago repertus est.* Alius *Magus in Germania flammis absumptus est.*

est. Matisconensis Comes *è templo vivus abreptus est, succurrite Cives, inclamans.* Michaël Sidicites *aqvis suffocatus perijt.* Alius *Iuris Candidatus minimo vulnere interemptus est.* Scafius *Bernensis hastis gladiisq; ad fenestram sedens inopinatò transfixus est.* Angla *Maga nigro eqvo imposita per aërem viva avecta est.* Agrippa *cervices sibi abscindi jussit, in vitam se reversurum sperans.* V. Cigognam l. 4. C. 8. Hildebrand. p. 266. Goeti. Bodinum l. 3. C. 3. *Esuestus Phocensium tyrannus duos incantatos annulos, unde rerum gerendarũ commoda captabat, gerens dolo improviso occisus est.* Thol. l. 34. C. 15. Ratio *est,* Partim, *qvia justa DEI vindicta ita in horrenda Magorum peccata,* t. 8. *animadvertendum esse reqvirit, ut DEUM severum talium scelerum vindicem esse mortales videant, & ab illis prudentiùs sibi cavere discant:* Partim, *qvia Sathanas verus homicida ab initio est,* t. 18. *Eoq; suos aliter ad ultimum beare non potest, nisi ut in corporis & sæpè etiam animæ interitum eos præcipitet, eoq; facto maximè lætatur & gloriatur:* Partìm *qvia per tales casus maximè Sathanas infernum suum amplificatum cupit, hominesq; argumentum inde capere debent,* & *malos genios reverâ esse,* & *infernum aliqvem esse,* & *pœnas impiè facta manere,* & *qvi Sathanæ serviunt, ita ab ipso beari, sicq; potentiam agnoscere, & infensissimi hostis insidias timere eò melius debent.*

18. Formalis Causa Magicorum actuum nulla est, *cum ipsi ut Accidentia ipsæ ultimæ formæ sint, non formas, per qvas sint, adhuc habeant, ut in* Metaphysicis *docetur. Qvantũ in malis finis esse potest, in qvibus extremum &* τὸ ἔσχατον *Philosophi, non finem agnoscunt,* V. Scalig. ex. 250. s. 1. *Pro ratione diversorum subjectorum hic concurrentium,* t. 1. *diversus assignari debet.* Vel enim iste ratione DEI *permittentis,* vel

Sathanæ

Sathanæ procurantis & subministrantis, vel hominis *exseqventis spectari potest.* Ratione DEI permittentis *finis est*, ut partim *libertatem suam ostendat, qvòd non omnia vi ac impetu prohibere teneatur, sed qvædam liberè dissimulare ac permittere possit, velut prudens Magistratus in liberâ Republ. scelera interdùm dissimulat ac permittit*: Partim *ut hominem ipsum liberum in talibus esse doceat, qvod liberè in his ipsum ferri sinat, & ut ad bonum neminem cogat, sic à malo neminem invitum abstrahat; Sed ex non volente prius volentem faciat; Vt cum ignem & aqvam ei proposuerit, libertatem illi manum, ad qvod velit, extendendi reliqverit.* Sirac. 15. v. 16. Partim *ut varietatem morum & actorum in orbe ita ostendat, actusq́ qvosdam deficientes & perversos, qvosdam perficientes & legi congruos esse notet. Sic in naturalibus monstra ad varietatem Vniversi faciunt:* Partim *ut hominum peccata vindicet, infirmitatem eorum manifestet, sibi relictos & à DEO derelictos in Sathanæ casses & varia scelera incidere justamq́ suam pœnam incurrere doceat: Partim gloriam suam variè ita aperiat, suavitatis in mirè gubernando, Clementiæ in determinando, ac metas furori Sathanico præfigendo; Sapientiæ in varios & Sathanæ ignotos fines eliciendo; Potentiæ in Sathanam sibi subjectum teneri ostendendo, & justitiæ in varias pœnas per Magos homini ob peccatum immittendo.* Ratione Sathanæ procurantis finis eorum ultimatus & intermedius esse potest. Ultimatus DEI contumelia & hominis perditio est. *Id enim Sathan per eos ut primus eorum motor intendit, ut DEO maculam ac ignominiam inurat, ejus dominio hominem subtrahat, ejus operibus se objiciat, paria se aut ampliora præstare posse ostendat, se pro vero Domino potestatem in omnia habente, omnium largitore ac effectore substituat, DEO honorem suffuretur,*

retur, sibi attribuat, DEI contemptum inducat, ejus regno incommodet, illudq; minuat, suum augeat & amplificet, pietatem profliget, impietatem inducat, stabiliat, & extendat, omniaq; ea agat & procuret, qvibus DEO ejusq; regno noxam inferri, DEIq; odium ac indignationem concitari liceat, prout juratus DEI divinorumq; hostis est, qvibus benè velle aut qvæ procurata esse cupere non potest, ac si qvandoq; aliqvid hic permittat aut simulet, eum in finem facit, ut majore damno deinde DEI regnum succutiat, hominem deniq; suo regno addictum, & in casibus suis irretitum æternis cruciatibus secum intrudat, & qvâ corpus & animã perdat. Eò enim tanqvã Leo rugiens obambulat, qvem devoret, qværens, 1.Pet.5.v.2. *Eoq; verus homicida à principio apostasias suæ fuit* Joh. 8.44. *Ac se talem esse in seductione primorum parentum* Gen. 3. *manifestè ostendit. Sic post Christum in carne exhibitum & inauditis miraculis illustratum,* Apollonium Thyanæum *Magorum præcipuum apud Gentiles suscitavit, tantaq; vi prodigiorum & præstigiarum instruxit, ut paria aut majora Christo præstitisse videri posset, sicq; Christi gloriã detereret, Christianis insigne scandalum objiceret, infirmos in fide succuteret, gentiles in impio idolorum cultu detineret, & salutem eorum omnibus modis impediret. Qvâ de causâ Christiani contra Apollonij defensores, ut Hieroclem aliquem eum cum Christo conferentem calamum stringere necesse habuerunt; Qvod passim ille Christo à gentilibus objiceretur, & præponeretur. Sic* Eusebius *librum con. Hieroclem scripsit, vide & de eo* Justinum qvu. ad Orthod. q. 24. *Qvòd si interdum homini benefaciat, v.g. morbos sanet, egestatem sublevet, rerum scientiam conciliet, eum in finem facit, ut regno suo tenacius hominem infigat, & sic certiore interitu eum involvat.*

19. In-

19. Intermedii fines varii esse possunt. *Vt potentiam suam ostentare, artes ac scientias suas exerere, hominem versare, explorare, ludificare, terroribus in hanc & illam partem agere, prout spectris Dæmones sæpiùs solent, ut Exemplis constat.* V. Remigium l. 1. Dæmonol. C. 28. *Ad cultum suum melius inducere, se pro DEO aliqvo & hujus seculi venditare, peccatis se delectari docere, DEI simiam esse, ejusq́ acta imitari velle, qvod in multis Dæmonem præstare certum est. Sic enim & Publicos suorum qvandoq́ conventus celebrat, sibiq́ honorem ibi haberi cupit.* V. C. 4. t. 10. seq. *Vt Deus à suis illud efflagitat: & Sacramento aliqvo, fœdere ac notâ qvadam suos addicit,* t. 7. *Et rationem colendi suos Magos docet, & gesta, qvibus regnum suum propagârint, ab illis reposcit, & sacrificia sibi fieri jubet, & loca qvædam cultui destinata cupit, velut templa, & per Incantatores suos velut Prophetas vaticinatur, & per exta, auguria, gestus, somnia, visiones, aliqvid ut DEVS per Vrim & Thumim olim, revelat, & Ecstaticos habet,* C. 4. t. 1. seq *Et munditiem postulat ac præscribit, & se suos defensurum ac beaturum promittit, qvandoq́ & nonnulla præstat, planè ut de DEO in sacris similia extare novimus.*

20. Ratione hominis finis hic vel ipsius Magi, vel à Mago maleficiati aut lœsi, esse potest. Ratione Magi *exequentis finis est* vel *libertas peccandi, ut liberè qvævis per Sathanam agere posse ostendat:* Vel *nocendi ac vindictam exercendi libido, qva segetes, jumenta, & homines se perdere, in alias formas immutare, ac ad graves conditiones homines adigere posse doceat:* Vel *petulantiæ, vanitati, ac libidini animi qvovis modo satisfacere velle.* Ratione maleficiati vel *Magico actu impetiti finis est, ut peccata ejus ita puniantur, infirmitas sibi relicta ostendatur, Vis & violentia Sathanæ agnoscatur,*

imperium ejus declinetur, jugum excutiatur, patientia hominis exploretur, DEI auxilium ferventiùs imploretur, fiducia & exspectatio hominis exerceatur, elatus hominus spiritus infringatur, ut in Nebucadnezare, ad pietatem, devotionem, & Virtutes homo exstimuletur, justitia DEI illis interdum, per qvæ peccavimus, punientis, ut cum Pythones consulvimus, jussa capessiimus, per Magos iterum infestemur, manifestetur, gloriaq́; DEI & regni ejus hoc modo promoveatur, & homo ad agnitionem DEI, sui, & Sathanæ, deducatur.

CAPVT IV.

De effectis Magicarum actionum, adeoq; de speciebus earum, & primò de actionibus ipsos Magos concernentibus, in illisq́; terminatis.

ITa existentia Magicarum actionum, *Definitio, & principia visa fuerunt: Succedunt* effecta ipsa, *qvæ Magicis actionibus efficiuntur, aut effici creduntur. Qvæ cum ipsis actibus inclusa, nec unius generis sint, commodè cum ipsis Mag. actionib. divisionem aliqvam sortiuntur.* Magici ergò actus & eorum effecta in duplici in universum reperiuntur differentia. Qvædam ipsis Magis contingunt, in illisq́; terminantur. Alia extra Magos ab illis ad alia feruntur, & in illis terminantur. Qvæ ipsis Magis eveniunt, duplicia sunt; Vel Absoluta, vel respectiva. Absoluta, *qvæ Magis solitariè sine collatione ad alium Magum spectatis eveniunt.* Hæc vel animam, vel corpus *simùl concernunt.* Qvæ animam, ecstasis Magica, *& animæ extra corpus abreptio, & ad alia loca trans-*

translatio, atq; ad corpus iterata reductio est. De qvâ qværitur: An verè animæ Magi extra corpus suum à Sathanâ abripi, & ad Panegyres suas & loca dissita ferri, corpore alicubi sopito interea relicto, possint? Bodinus l. 2. Dæmon. c. 5. & conf. opin. Wieri *affirmat, & variis exemplis confirmare allaborat.* Baldvinus *interdum id fieri non improbabile censet* l. 5. Casu. Consc. c. 5. q. 7. *Apud alios talis ecstasis Sathanica similiter veri speciem obtinuit.* Cardanus *se cum luberet, extra corpus abripi scribit. Cardani autem pater* Facius Cardan⁹ *per 30. annos spiritum familiarem habuit, ut ipse scribit* l 16. d. rer. var. c. 93. Et ex eo Zving. Vol. 5. l. 4. *Vnde ad excessum mentis* Cardanus *informatus fuit.* Plutarchus *Solenem qvendam*, Plinius l. 7. c. 52. *Hermotinum Clazomenium*, Herodotus *Præconnesium aliqvem*, Plato l. 10. d. Rep. *Eren Armenium ita abreptos tradunt, ut corpora eorum pro mortuis jacuerint, Vnde & Hermotimi corpus occisum & crematum est. Similia* Dec. 2. Misce. d. 9. t. 23. *adducta. Apud* Virgilium *saga inducitur, qvæ se promittit solvere mentes.*

2. *Verius contrarium, & rectius à Philosophis animam hic abripi posse negatur.* Delrio q. 25. Bierman. d. Mag. act. t. 20. seq. *aliisq;. 1. Si anima Magi verè extra corpus abripitur, Ergò corpus mortuum erit, & cum anima ad illud reducitur, verè iterum à morte in vitam aliqvis revocari poterit, qvod impoßibile, & solius DEI proprium, ut C. 9. t. 38. patebit. Si corpus Magi vivum manere dixeris, animatum dixeris. Corpus enim sine animâ vivum non est. At animatum sine animâ esse, vel animam abreptam ab animato esse, contradictoria sunt.* Si calorem nativum, vinculum animæ cum corpore, *& ultimam corporis ad animam dispositionem, faculta-*

tem

tem etiam animam reducem recipiendi, in corpore ecstatico remanere, eoq́ id non planè pro mortuo haberi posse, in tali enim ista plane non remanent, dixeris, etiam nihil proficies. Calor enim iste ita animæ addictus agit, ut ejus vector, minister, & proximum agendi instrumentum sit, ut nec hæc sine eo in corpore, nec ille sine ipsâ perdurare qveat. Et cum ῥευστὸς *ac fluidus sit, qvotidiè in momenta eum regenerari oportet. At à qvo generandus est, cum animâ adstructum ac adjutum esse oportet. Sed anima in corpore, è qvo abiit, esse non potest. Nec foveri & sustentari ille sine pulsu & respiratione potest. Sine animâ autem ista cieri non possunt.* 2. Si animus extra corpus abripitur, *& corpus domi sopitum manet, ut sæpè Sagarum corpora ita manere animadvertuntur , ut Exemplis* Bodinus c. I. & Camerarius C. I. hor. succis. C. 72. *Ostendunt , erunt aut duo hominis hyphystamena & subsistentia, aut unum.* Si prius, *Ergò unus homo duabus subsistentiis subsistet, qvod absurdum. Homo enim ut unus est, ita & una ejus essentia & existentia est, & conseqventer subsistentia. Homo enim ut substantia est: Ita ejus existere est subsistere. Et essentia in actu constituta verè est ipsa existentia, ut in* Metaphysicis *docetur.* Si posterius, *duæ substantiæ separatæ, ut anima & corpus, unâ numero existent subsistentiâ, qvod etiam absurdum. Quodvis enim suppositum ab alio sejunctum peculiarem reqvirit subsistentiam, tanqvam supposito formæ vicem explentem.* Rectiùs *hæc abreptio ecstasis aliqva aut ei analoga dicitur, qvà sensus externi ita ad interiora revocentur, ut nec passio corporea, nec motus externus percipiatur, & vita ipsa vix satis inesse animadvertatur. Item ludibrium aliqvod Sathanæ ad analogiam resuscitationis mortuorum introductum, qvo Veterator, cum rem verè præstare non possit, speciem tamen ejus in Sagis repræsentare*

conetur,

conetur, & sic perpetuam DEI simiam agere concupiscat. V.C.3.l.19.

3. Dices 1. Taliter abrepti *ad condictam horam revertuntur. At qvi narcoticis soporantur, aut nunqvam evigilant, vel 3. aut 4. dies dormiunt, ut Turcarum castrandi. Ergò nec narcoticus hic somnus est, nec mera ecstasi & sensuū ad intra revocatione magi detinentur, sed verè animam abripi oportet.* ℞. Non est somnus *merè artificialis, qvalis per narcotica inducitur, sed ecstasis & somnus Dæmoniacus, à Sathanâ in Mago excitatus, eoq; pro Sathanæ placito ad horas aliqvot determinari, & tum iterùm solvi potest. Sathanæ enim totius hujus fabulæ actori difficile non est, ad præstitutum tempus, qvo magus condixit, & Dæmon consensit, magos suos somno detentos excitare, somnum pro lubitu abrumpere, membris sensum, corpori vigorem restituere &c. Cum & narcotica interdùm per artem temperari possint, ut ad designatum circiter spatium homo à somno liberetur, & magis aut minus attineatur.* 2. Qvi *narcoticis soporantur, nullius rei meminerunt. At magi excitati multarum, easq; distinctè referunt, verasq; eas esse inqvisitionibus postea probatur.* ℞. Qvi merè narcoticis soporantur, *ita fortè se habeant, qvanqvam res in dubium vocari possit. Sed hic soporatio est Dæmoniaca, ubi fabulæ principalis actor Sathanas est, qvi pro lubitu omnia hic agere & versare potest, eoq; & phantasias excitare, & memoriam sufficere, & qvasi visa ac percepta magis essent, repræsentare potest, sicq; illi tandem referunt.* 3. Fatentur ipsi Magi, *se animo ita abripi, ut extra corpus vagentur. Sic* Cardanus, *qvoties lubet, se exstaticum fieri scribit,* t. 1. *Et hæc confessio publica & privata, iterata & freqventata, solennis plerisq; Magis, voluntaria & coacta, ac ad mortem constans est. Convictiones etiam, testimonia,*

nia, comparationes testium, & confeßiones gentium omnium magnam inter se convenientiam habent. Ergò non pro vano hæc res habenda. ℞. Qvalia labra, tales lactucæ. *Confessores, magi, sunt homines corruptæ mentis & judicii, qvi à Sathanâ pro lubitu dementantur & exagitantur, milleq; ludibriis expositi sunt, ut facta & Exempla freqventißima testantur,* V. C. 4. t. 15. 18. *Ita & Confeßio ipsorum non statim recipienda, sed examinanda & ponderanda est. Vbi de re est, qvæ omnem potestatis naturalis vim superat, DEI potestati præjudicat, sanæ rationi repugnat, qvæ potius inter impoßibilia Creaturæ, qvàm poßibilia eam refert,* V. t. 5. *solidè ac plenè aliqvid probare non potest. Passos esse magos aliqvid, vidisse, sensisse, percepisse, aut somniasse aliqvid, inde confici poßit: Qvomodo autem & qvâ ratione, an animi extra corpus deportatione, an phantasticâ in cerebro confusione & repræsentatione, an corporis ipsius exportatione, satis tutò narrationi ipsorum credi non potest.* Sic nulli Melancholico, deliro, maniaco, *somnianti, furioso, aliqvid in re alicujus momenti creditur, etsi jurato. Cur hic id statim procedat?* Qvidam *constantißimè se mortuos dixerunt*, alij *se veros Dæmones esse, nasum immensæ longitudinis, nates vitreas habere, granum hordei esse asseruerunt. Nec ob id illis fides adhibita est. Pervertere ita Diabolus suorum mentem, sensus, & judicium potest, ut se extra corpus abreptos fuisse opinentur & glorientur: fides facti in talibus ex nudâ relatione aut confeßione constare non potest.* V. t. 16. *Convictiones autem, testes, gentium consensus, plerumq; Sagarum confessionibus nituntur, eoq; nisi hæ justæ fuerint, satis stringere non possunt.*

4. 4. Multas locorum, personarum, gestorum, *aliasq; materiatas circumstantias ex profectione reversi Magi referunt, ut epulas, commessationes, choreas, contentiones, gesta hominum*

in

in remotissimis locis existentium, & similia; Quæ sine animâ observari non possunt. Corpus autem domi stertere observatum est. Ergò animam extra corpus abreptam fuisse necessum est. ℞. Si hæc realiter observare & observata referre possunt magi, *Ergò animam extra corpus abreptam non fuisse oportet. Animus enim à corpore separatus, ut totus immaterialis, talia materiata tàm distinctè & specialiter non observat aut enarrat, nec talia sentit aut patitur, ut ipsi referunt, sed corpori conjunctus talia demùm peragit, & ita ex objectione prorsùs contrarium seqvitur. Itaq; qvaliacunq; hæc sunt,* vel *mera præstigiæ & dementationes Diabolicæ sunt, qvibus hominibus glaucomata objicit:* Vel *commotiones phantasiæ, & prodigiosa somnia in animâ & corpore magi excitata sunt, qvibus se hæc & illa videre extra corpus existimant. Cum anima in corpore somno sopito sit, & per somnium variis imaginibus à Sathanâ excitatis ita afficiatur, acsi præsens rebus interfuisset. Vt in somniis etiam naturalibus nobis qvandoq; evenit, ut velut præsentibus exhibeantur, qvæ imaginibus in phantasiâ per somnum formatis repræsentantur.* 5. Interdum Magi reversi literas, *cultellos, aliasvè res eorum, qvi longissimè absunt, secum reportant, corpore interim præ oculis multorum jacente immoto. Ergò animum exspatiari oportet.* ℞. Indè etiam magis *contrarium seqvitur. Si talia materialia secum Magi deferunt, animum extra corpus non exspatiatum esse oportet. Solus enim & à corpore separatus animus materialia secum non defert, sed hoc hominis ex corpore & animâ constituti est.* Deindè *hic Sathanæ non difficile est, cultros, literas, aliundè abreptas celerrimè supponere, oculos spectantium fascinare, ne aliundè adferri sentiant, mago expergefacto ea tradere, qvi, qvasi ipse*

si ipse attulerit, adstantibus ostendit, cum Dæmon astu oculorum aciem præstringente ac antevertente totum perfecerit.

s. 6. Corpora Magorum per aërem celerrimè interdùm *deferuntur, ut experientia constat.* V. t. 11. 12. *Cur non animus extra corpus deferri qveat?* ℞. Corpora magorum deferri *contra naturam non est, sed præter & ultra tantùm, eoq; à Sathanâ effici potest.* Animam extra corpus rapi contra naturam corporis vivi est, *& ex vivo mortuum facit, reduciq; animam in corpus mortuum vitæ denuò reddere est, qvod extra sphæram activitatis rei finitæ est. Cum solius potestatis increatæ privilegium sit, animas corporibus eximere, illisq; restituere,* V. C. 9. t. 38. *Eoq; à Sathanâ effici non potest. Et illa ipsa export. corporis sæpè vana & præstigiatoria est,* t. 15. *Non mirum, animi abreptionem talem esse.* 7. Magi ita abrepti nec verbera, nec inustiones morantur, ut illis ex *somno excitari possint, ut Exempla testantur. At nullus somnus narcoticis inductus tàm profundus est, ut ignis cuti admotus eum non excutiat.* ℞. Tanta *narcoticorum qvandoq; vis est, ut somno detentos ne per triduum dimittat. Ut* Bodinus c. 5. *fatetur. Et ex* Wiero L. 3. d. lam. c. 17. patet. *An tales verbera aut ignes morabuntur, ut excitentur? Qvi ecstasi abripiuntur, sine sensu ullo & motu velut exanimes jacent, ut pro mortuis interdum sepulti sint, ut* t. 1. & dec. 2. Miscell. *ibi allegata ostensum. An illi ignibus admotis in sensum revocari poterunt?* Qvi *morbo caduco infestantur, in ipso paroxysmo ignes nullos sentiunt. Interioribus enim passionibus pressi exteriora non animadvertunt. Nec ob id anima in illis abrepta. Sic qvædã Virgo sopita, ut nec adactas in pedes aciculas sentiret.* Delrius l. 2. q. 25. *Et tamen anima reverâ in corpore fuit. Ancilla qvædam Suecica Gedani anno 1610.*

tam

tam profundè indormiyt, ut ignibus ad faciem & collum usta, per domum tracta, pulsata, raptata, nihil sentiret nec evigilaret. Nec nuda narcoticorum vis ad somnum in Magis est, sed ecstasis Dæmoniaca, qvà ad lubitum Dæmonis profundiùs vel remissiùs somno Magi attineri possunt, t. 3. *Non mirum, si nec ignes, nec verbera tales excitare poßint, etsi anima reverâ corpori juncta sit.*

6. 8. Actio tota hic Magica, Dæmoniaca, & ultra naturam est. *Ergo ad naturæ leges non ita strictè alliganda, ut si aliqvid in naturâ impoßibile videatur, ut animam extra corpus trahi, statim & in Magico cursu id pro impoßibili habendum sit. In ipsâ Naturâ multa incredibilia sunt, & qvorum propinqva ratio reddi non potest. Qvî non actiones spirituum ultra naturæ vim ascendant, ut facultates agendi in ea superare poßint?* ℞. Qvicqvid Diabolus *perficit, si non præstigiis ludit, mediis naturalibus adhibitis & ad effectum producendum naturali agendi vi subordinatis perficit, ut herbis, aqvis, radicibus, venenis, mineralibus, qvorum facultatem exactißimè perspicit, & sufficienter penetrat, pluribus modis patientibus agentia adjicere, vires facultatum aggravare, astutè & violentèr res compellere aut divellere novit, ut gravior, celerior, violentior, aut horribilior effectus producatur. Sic tempestates excitando nubes cogit, intoxicando venena parat, conjuges ligando genitalia depravat, sexum mutando membra distinctionis detorqvet, intromittit, aut extrà evocat,* V. C. 9. t. 5. *Succumbendo aut incumbendo corpus adaptat & materiam aliqvam prolicit,* C. 5. t. 2. seq. *Effecta Magicorum actuum etiam sæpè sunt naturalia, & naturæ vim non transcendentia, ut morbos immittere, tollere, sangvinem provocare, sistere. Itaq; actio ejus non ita naturæ eximenda, ut non ad leges ejus eam exami-*

 nare

nare liceat. Omne violentum ad naturale reducitur. In magicis autem multa violenta, ut celerrimi corporum raptus, collisiones, attritus, tempestates, imbres, & similia. V. C. 1. c. 9. 10. *In Metaphysicis omne Ens in naturale & artificiale dividi solet, & sub naturali etiam DEUS comprehenditur, qui natura naturans dici solet, omneq; id eò redigitur, quicquid essentiale motus principium in seipso habet. Quidni Dæmon ejusq; actus ad naturam revocari debeat, qui omninò essentiale principium motus in se habet? Ubi ipsum* τὸ ὅτι *in aliquâ re dubium & controversum est, non potest in eo, ut indubitato intellectus subsistere, sed ad causas, modos, circumstantias rei pervestigandas, an ita se res habere possit, ut vulgò fertur aut sentitur, progredi debet, ut accuratus rei status tandem cognoscatur. Et ita in præsenti negotio est, ubi de Sathanâ ejusq; actibus quæritur. Quem maximum veteratorem esse novimus, de quo illud Poetæ, tibi nomina mille, mille nocendi artes, locum habeat, ut non statim communiter hic receptum, pro vero haberi debeat.*

7. 9. Si ecstasis magica à somno & somniis sit, Sagas *illâ compulsas melancholicas esse oportebit, in quâ complexione talia somnia excitare facilius ac commodius erit, prout dici solet, caput Melancholicum Diabolo præparatum balneum est. At fœminæ rarò aut nunquam sunt melancholicæ, sed alterius complexionis, nec visum est, fœminam dolore animi mortuam esse, ut viri solent. Et apud boreales, ut* Svecos, Finnos, Lappones, Biarmos, *ingens magorum numerus est, qui cum volunt, abripiuntur. At illi minimè* Melancholici *sunt, cum omnes flavo capillo aut coloris ruffi sint. Ergò non somno aut somnio ecstasis ista adscribi debet, sed reverâ anima à corpore abrepta est.* ℞. Non sunt ista somnia merè Melancholica, sed Dæmoniaca, *à Sathanâ procurata, excitata, &*

deter-

determinata ac directa, qvi ut actor negotii ad lubitum suum hic cuncta exseqvitur, non meris narcoticis aut naturæ complexioni adscribi debent, t. 3. 4. *Inde qvidam 3. horas, alij semihora detinentur, ut* Bodinus *annotat* c. 5. e. l. & confut. Wieri. *Intercurrere autem Exempla Melancholicarum Sagarum experientiâ constat, & apud Medicos mulierum Melancholicarum exempla prostant. Sic Melancholiam aliqvam ex utero agnoscunt, cum sangvis ad uterum confluens ibiq; exitum qværens, cum ibi non invenit; Et fœminis familiare hoc malum, qvia & magis dejecti animi, & cum viduæ sunt, animi mærore ac curis magis cruciantur. Vt Hippocrates aliiq; tradunt.* V. Sennertum l. 5. Pract. Medic. p. 2. C. 13. *Exempla Melancholicarum mulierum apud* Schenkium obs. med. p. 270. seq. *Et ex eo* Melandrum T. 1. Jocor. C. 467. seq. *vide &c. Septentrionales Melancholicos esse, ut non universè affirmari potest, sic nec negari debet. Possunt & inter illos Melancholici incurrere, etsi ob circumstans frigus aëris capillo maximè flavo aut albente sint. Sic* corvi *in Islandiâ ob perpetuos nives albi nascuntur.* Aristot. 5. d. gen. anim. c. 6. Et l. 3. hist. anim. c. 12. Scaliger ex. 59. s. 1. *Et tamen corvi ac Melancholicæ alites, etsi plumis albi: Qvidam plures ad septentrionem Melancholicos esse ajunt, ac alibi, ob aërem, vapores, cibos crassos, viscidos & insalubres.* 10. Anima rationalis est Spiritus immortalis, *ut in Theologicis & Pnevmaticis docetur. Ergò à corpore separabilis.* ℞. Est separabilis, sed à DEO, *qvi vitam & dare & eripere in homine potest*, Deut. 32. vers. 39. 1. Sam. 2. v. 6. *Non naturæ aut genij potestate, qvam talis separatio & reductio transcendit*, t. 8. 11. Paulus *in ecstasin raptus dubitat, an in corpore, an extra id fuerit*, 2. Cor. 12. v. 2. 3. *Ergò & simile qvid in Magis Dæmon facere poterit.* ℞. Raptus

ptus iste divinus fuit, *non Magicus, DEO id possibile esse certum*, t. 2. *Et an anima Pauli extra corpus rapta fuerit*, Paulus *ignotum esse ait. Nec ergò nobis præcisè affirmandum.*

8. 2. An anima semel ex corpore Magi extracta iterùm Sathanæ potestate realiter reduci ad illud, eiq; reuniri possit? *Affirmat* idem Bodinus c. l. Et Baldvinus c. l. V. t. I. *Falsò 1. Nam abreptio animæ è corpore vi magica peracta nugatoria est*, t. 2. seq. *Ergò & reductio talis.* 2. Revnire animam *eidem corpori, à qvo realiter separata fuit, est verè mortuum in vitam animalem revocare. Mors enim ex separatione reali animæ à corpore est.* Dec. 2. Miscell. d. 9. t. 7. & d. 10. t. 8. *Oppositum ergò ejus, resuscitatio aut vivificatio est, ex conjunctione reali ejusdem ad idem corpus, à qvo separata fuit. At mortuos resuscitare solius potestatis divinæ argumentum est, qvam cum Sathanâ nunqvam DEVS communicabit*, C. 9. t. 38. 39. *Si Sathan animas Corporibus separare & restituere potest, poterit & eas in corporibus formare, & sic hominem verè vivum in utero materno conciliare, h. e. Creatione secundâ spiritum hominis in homine formare. Resuscitatio enim est velut iterata hominis creatio, aut parem saltem vim cum eâ reqvirit. At hoc* ita emphaticè *Scriptura DEO tribuit, ut nulli creaturæ unqvam adscribat*, Eccles. 12. v. 7. Jerem. 28. v. 16. Zachar. 12. v. 1. 2. Macc. 7. v. 22. V. Dec. 2. Miscel. d. 4. t. 8. *Et nulli Angelo bono id uspiam in Sacris tributum legitur, aut verè tribui potest*, Ut c. l. d. 3. t. 10. *ostensum: Minus de Malo affirmandum erit. Qvæ in contrarium hic moveri possunt, ex* t. 3. seq. *explicationem habere possunt.*

9. Sic fuerunt, qvæ Magis qvà animam evenire creduntur: Seqvuntur, qvæ qvoad animam & corpus simul, & Mago toti seu animato contingunt.

De

EXPORTATIONE ET CONGRESSU MAGICO.

THESIS IX.

TAlia sunt Magorum ad conventus suos deportatio, ibidemq; commessatio, Sathanæ cum illis congressio, liberorum ex isto congressu procreatio, substantialis eorum in bestiam, lupum, avem, aut similem transformatio. *De his qværitur* 1. An verè Magi nocturnis temporibus à Sathanâ ad conventus & Panegyres suas exportentur, Blocksberg/vel Proctelsberg & Hewberg/ ut alij vocant, Vel in ditionem Ultrajectinam, ubi unus ex præcipuis Magorum *congregationibus locus est, ut* Delrius q. 16. l. 2. *tradit, vel nucem Beneuentanam in Italiâ, ut* Bodinus c. 2. ibiq; conviviis indulgeant, choreas ducant, aliaq; patrent, qvæ ipsi pro veris postea referunt? Qvidam *totum hoc pro reali habent, ut* Bodinus l. 2. Dæm. c. 4. Et conf. Op. *Wieri, multisq; exemplis, testimoniis, & confessionibus id probat.* Paracelsus in Phil. magnâ, & Phil. occultâ, *ubi magnos sæpè choros super maria & montes ferri ait, qvos vulgus* das wütende Heer *vocet*, Scribonius in Physiol. f. 65. Joach. Camerarius in proem. Plutarchi de oracul. defectu, Danæus & Fran. Joel ap. Gœdelman. l. 2. d. lam. c. 4. n. 5 Cigogna l. 4. d. mag. c. 4. & l. 3. c. 4. Patres *etiam multi, ut* Clemens, Arnobius, Egesippus, Cyrillus, Maximus Taurinensis, Epiphanius Gregorius, *aliiq; idem tenent* ap. Delrium l. 5. s. 16. Alij *pro imaginario & phantastico habent, & profundo sopore vetulas, qvæ se exportari dicunt,*

cunt, detentas reperiri ajunt. Ut Gœdelman. c. l. n. 15. Porta l. 2. Mag. nat. c. 26. Wierus d. lamiis c. 10. 11. Concilium Aqvirense in Jure Canonico c. Epis. 26. q. 5. Lutherus, Melanchton, Molitor, Alciatus, Grillandus, Fichardus ap. Gœdelm. c. l. Minorita *Aliqvis, Author fortalitij fidei*, Pontzinibius, Leonh. Vairus apud Delrium l. 2. q. 16. Alii media viâ *ingrediuntur, & exportationem illam* interdùm *realem & veram*, interdùm *imaginariam & phantasticam per somnum & somnium in capite Sagarum à Dæmone commotam censent, ut* Remigius l. 1. Dæmonol. c. 14. 16. 24. 20. Wierus l. 3. d. lamiis c. 11. 12. Alstedius p. 3. Pneum. C. 9. t. 7. Et Synops. Cas. consc. c 12. q. 10. Boissardus d. magia, c. 2. 9. Delrius c. l. Malleus Maleficarum, Turrecremata, Basinus, aliiq; *Theologi & ICti Itali, Hispani, Germani, apud* Eundem c. l. Jacobus Rex l. 2. Dæmonol. c. 4. 28. n. 5. seq. Tannerus T. 1. Th. Sch. d. 5. q. 5. d. 3. Danæus T. 2. d. sortiariis Cap. 4. Binsfeldius d. Conf. Mal. Conclus. 12. Schultetus de Zauberey c. 7. Lercheimer d. Zauberey/c 13. Thyreus de spect. apparit. l. 2. cap. 13. Hildebrandus in Goëtia, p. 117. seq. aliiq;. *Estq́ sententia verior & probabilior.*

10. Et realem istam interdùm exportationem esse *probatur.* 1. Qvia ex parte rei ipsius non est impossibilis. *Potest enim corpus aliqvod brevissimo spatio per aërem à Dæmone ferri, nec contradictio aliqva in eo est, nec obstacula talia sunt, ut non à Dæmonis potestate superari possint, ut corporis gravitas, locorum distantia, motus celeritas, temporis brevitas, qvæ omnia superare Angelicam potestatem posse certum est, ut in Michaël. visum. Ergò credibile est, reverâ interdum eam fieri.* 2. Qvia Philippum Apostolum à *Spiritu in de-*

sertum Jethum subitò delatum Act. 8. v. 39. 40. Habacucum *ab Angelo Babylonem translatum* add. Daniel. v. 25. *legimus. In virtute autem motivâ & celeritate angelos bonos malis prævalere non credibile est. In gratiæ donis hi nulli post lapsum sunt: Naturæ dotes retinuerunt, ut vim intelligendi, memorandi, motum localem in Corpore efficiendi, aliaq; sibi convenientia operandi, ut in* Michaëlib. t. 78. seq. *dictum. Ergò & corpus realiter transferre poterunt.* 3. Qvia *qvædam exempla sagarum, aut simul cum sagis exportatorum, manifestè id demonstrant. Longissimè enim à suis locis remoti fuerunt, ut magnâ molestiâ ingens iter conficiendo tandem domum devenerint.* Sic maritus aliqvis *cum Sagâ exportandus, ubi pro sale in Convivio Sagarum DEO grates ageret, omnibus evanescentibus ipse in agro Beneventano regni Neapolis inventus est, 100. milliaribus à suâ domo distante, ut mendicando domum remeare necesse habuerit.* Grillandus l. 2. d. Sortileg. q. 7. Sic puella qvædam *Bergomi morata manè in lecto affinis Venetiis reperta est, eò à Sathanâ, cum se ungvento Magico inunxisset, exportata.*

11. Alius Carbonarius Ferrariensis, *Sagæ maritus, in cellam vinariam Comitis cujusdam exportatus, ibi relictus, & à famulis domus repertus est. Servus aliqvis lamiæ Trajecto in* Oppidum *Wyek delatus, domumq; cum Sagâ per aërem vectus, in lacum arundinosum dejectus est, coxam utramq; confringens, & curru Trajectum revectus est.* Qvædam Lucretia Saga *ex congregatione domum deportata, ubi sonitus campanæ ad preces matutinas convocantis auditus est, in agrum spinis obsitum ad fluvium dejecta est, donec à Juvene noto domum iterùm deduceretur, & res tandem manifesta fieret.* Delrius c. l. Cigogna p. 1. l. 3. c. 4. Alius *cum Mago exportatus 3. annos*

consumpsit, anteqvam domum reverti potuit, ut ex Turqvemada Bodinus c. l. c. 4. *refert, ubi plura tradit. Eadem* Cigogna c. l. *habet, qvi & historiam de nobili qvodam Insubro ex* Bocatio *addit, qvi ex aulâ Turcici Imperatoris Ticinum Magi beneficio deportatus, & in ædem Cathedralem collocatus fuerit, cum uxor futurâ die alteri nubere ex condicto 3. annorum absentiæ spatio deberet. Et alium* de Centurione Batavo, *qvi eqvi in Sylvâ obviam facti beneficio Hierosolymam vectus, & postero die in eundem locum, ubi famuli eum expectârunt, reportatus fuit.* Alius Magus *Lutetiam ad nuptias cum aliis exportatus est, & cum hospites de ignotis his murmurarent, iterùm avectus est.* Faustus in Bacchanalibus *Salisburgum in cellam vinariam vectus, & à præfecto furti accusatus secessit, eum secum ferens, & in pinnam magnæ abjetis in sylvâ illum collocavit.* Lercheimer d. Zauber. c. 13. Hist. Fausti, c. 45. Alius *cum mago exportatus multas septimanas consumere necessum habuit, priusqvàm domum reverti posset.* Boisardus d. Magia, c. 9. *Hadingus Danorum Rex in regnum suum, qvo factione qvorundam ejectus est, per immensa maris spatia ab Othini Dæmone in eqvi specie reductus est.* Remigius l. 1. c. 23. V. *plura exempla ap.* Beyerling. Vo. Miraculum. pag. 546. seq *Hæc non imaginatione nudâ, sed reipsâ facta. Socii enim eò exportati, ibi relicti, inventi, domum deducti, periculis impliciti, in viâ dejecti, cruribus delumbati, & similiter, qvæ per phantasiam meram geri ineptum est. Sic Granatensis aliqvis studiosus Guadalupo Granatum seminoctis spatio cum Monacho eqvitante realiter vectus est, suosq; salutavit.* Boisardus de Magiâ, c. 9. Remigius l. 1. c. 23.

12. 4. Qvia sæpiùs in locis istis conviviorum Magicorum Scyphi argentei, *crateres, varia suppellex furto aliis*

à Satha-

à Sathanâ ablata, aut à Sagis devecta, inventa, agnita, & suis possessoribus restituta sunt, ex qvibus potasse ibi Sagas & lamias animadversum est, ac reale qvid conventui subfuisse apparet. Sic lanio qvidam *per noctem inter arbusta conventus ac colloqvia lasciva audiit. Propiùs accedens convivium & apparatus, scyphos etiam argenteos, videt. Duos secum tulit, & ad Magistratum detulit. Agniti à suis, & domi amissos vident, ac ereptos judicant: Vxores in suspicionem venêre, & examine facto mira innotuerunt. Post per saltum istum iter faciens terribili cum eqvite pugnandum fuit, qvo sic fatigatus, ut multos dies decumbere coactus sit.* Gœdelman c. l. n. 12. *Sed qvi unius tantùm scyphi meminit.* 5. Qvia qvidam *eqvis aut pedibus ad conventus Magorum profecti, sacris Magicis se aut liberos initiaturi, per aërem à Sathanâ domum revecti sunt. Sic Nicolaa Stephana ann. 1587. apud* Remigium c. l. c. 14. *Alij ad convivia propiùs accedentes per 200. passus dejecti sunt, & qvod craterem aureum abripere voluerint, etiam ungulas Sathanæ experti sunt, ut* Claudius Chotæus *Wisembacum profecturus An. 1589.* ap. Eundem. Alii *tibiis in arbore cantantes cum nomen DEI inclamassent, ex arbore præcipitati, soliq́ cæteris evanescentibus humi relicti sunt, ut* Joh. Hembachius. Alii *conventus spectantes & nomen IESV inclamantes, turbine correpti domum detrusi sunt, ut triduum decumberent, ut Nicolaa Lang. Qvadam Saga & Magi ad loca conventus propinqva pedites iverunt, ut Barb. Regel, & Fr. Fellaus, An. 1584.* Alij *ex curiositate talia spectantes à lamiis jussu Diaboli fustibus ita percussi, ut intra 5. dies inde mortui sint, ut Laur. Concoretius potestas cum Notario & alio qvodam ap.* Cigognam c. l. Interdùm *loca, ubi chorea Sagarum cum Dæmonibus habita, circo impressa postridiè apparuerunt,*

ruerunt, qvales in hippodromo sunt, ubi eqvi agitantur, qvi & persliterunt, donec aratro aruum subactum fuit, ut Assenuncuria An. 1590. apud Remigium c. l. *Et ad Castellum novum in conscepto aliqvo sub castaneâ* ap. Cigognam c. l. *Qvalia è nudâ Phantasiâ & somniis non fient.* 5. Qvia *freqvens & constans Sagarum ex variis locis adductarum, in ultimo etiam vitæ termino, rogo, ubi nullus fictionis usus, & phantasia exhausta est, ut somniis locus non sit, confessio id docet, realiter eas qvandoq; exportari, modos etiam, & circumstantias, ac instrumenta, qvibus vehuntur, uti baculos bifurcos, scopas, hircos, tauros, arundines, colum, canes atros, portitores, eqvos, & similia distinctè memorant, ut circa noctis medium, & noctibus diem Jovis aut Solis præcedentibus ut plurimùm, etsi interdùm & aliis, apud* Eundem c. l. *Multitudinem item convenientium agnoscunt, plures mulieres, qvàm Viros esse vident, ut* Idem c. 15. *refert.* Agros etiam, *flumina, sepes, domos, discernunt, in circumstantiis variis conveniunt, obvios agnoscunt, salutant, ab aliis videntur & agnoscuntur, qvi crimine immunes.* Sæpè etiam *munus, qvod Diabolo offerant, secum ferunt, ibiq; eo delati dimittunt, ut hostiam, infantum umbilicos, gallos, gallinas, qvæ postea nunqvam secum reperiunt.* Tolosan. d. Repub. l. 13. C. 28. n. 14. *Qvæ aliqvando exportationem realem docent. Nam* nec *qvæ ab phantasiâ, omnia in omnibus eadem, sed sæpiùs diversissima, prout naturarum diversa habitudo est;* Nec *de delusoriis tàm unanimis multorum consensio est, cum ætate, studiis, locis, temporibus, disjunctæ valdè sagæ sint:* Nec *mendaciorum & commentorum tanta potest esse conformitas, qvæ facilimè divertere solent; In hoc autem negotio mirè consentiunt;* Nec *verbera, unde mors consecuta, imaginaria esse possunt.* C. l.

13. Di-

13. Dices. 1. Per furnos, Caminos, fenestras, januas clausas, *rimas angustissimas, specie felium, murium, locustarum, se perduci Sagæ fatentur, quod contra quantitatem corporis, dimensionum penetrationem infert, eoq; contra naturam est, & illis credi non debet. Ergò & tota ista exportatio fabulosa esse potest.* ℞. Ab unâ circumstantiâ aut modo historiæ falso & ementito *ad totam rem ac historiam negandam non valet Conseq.* Res ipsa *interdùm vera est, ut modus & circumstantia fallant. Sic Christum in stabulo natum, verum. Inter bovem præcisè & asinum, qui puerum Dominum agnoverint, ut vulgò canitur, ac concursu miraculorum, quæ vulgò poponnuntur, falsum est, ut* in Natalit. t. 18. *dictum. Sic hic exportatio vera esse potest, ut modi isti, per angustias caminorum, januas & fenestras clausas, falsi sint, etsi præstigiosam speciem sensibus Magorum Sathanas inferre possit. Ipse præcedens fenestras & januas latenter aperit & claudit, easq; intromittit, quæ se in talia animalia conversas fuisse putant, quod Cordatiores Sagæ Italiæ* ap. Grillandum *fatentur,* l. 2. d. sortileg. q. 8. Alii *fissuras ipsum dirumpere, & postea compingere in parietibus putant, suosq; intromittere, V. Delrium q. 17. c. l.* 2. Cibi in conviviis eorum famem non explent, nec satiant, *sed inani vento deludunt. Quod indicio est, omnia ista præstigiatoria esse, & videri tantùm.* ℞. Qvandoq; *præstigias intercurrere non incredibile est. Interdùm realia esse patet* partìm, *qvòd Sagis conventuris qvandoq; animalia ad esum dapum à Sathanâ imperata, ut feles, nigri hæduli, galli, ut ipsæ fatentur apud* Remigium c. 16. Partìm, *qvòd reales scyphi interdum è mensis eorum ablati,* t. 12. *Qvi pro reali potu illis infundendo fuerunt, Imaginario enim potui phantasticus scyphus similiter suffecisset;* Partìm, *qvòd*

qvòd ex morticinarum pecudum carnibus, qvas pro derelictis homines abjiciunt, aut ferinas epulas suis construere Sathanæ facilimum sit. Aut aliundè cibos abripiat, & ad Magos suos deferat. Sic de Papæ ferculis & poculis è mensâ ad Faustum in Capitolium delata. Hist. Fausti, p. 1. C. 26.

14. 3. Raptus ille si realis sit, ita citus interdùm est, *ut corpora humana dißipari, resolvi, aut suffocari necessum sit. Qvod cum non fiat, & eum non realem esse conseqvitur.* ℞. Qvod per lineam rectam in aëre provehitur, *longè minore spatio provehi potest, ac qvod per varias flexuras viarum & circuitus aqvarum, fluminum, lacuum, & similia in terrâ devehendum est. Ita per rectum longè celerius Sathan devehere potest, qvàm viarum flexuris expediri potest, qvæ hominem remorari possunt.* Stellæ *in cœlo circa æqvatorem singulis scrupulis secundis vel binis oculi nictibus 876. milliaria Germ. procedere dicuntur, uti Mathematici supputant, nec dißipantur. Cur humana corpora dißipari in longè minore spatio necesse sit?* Aves *per aërem, globi tormentarii, naves valido vento agitatæ, celerrimè provehuntur, ut 24. horis 100. milliaria conficiant, nec dißipantur. Analogon aliqvid in Sagarũ exportatione fieri poßit.* 4. Jus Canonicum *omnia hæc phantasticè fieri ex Concilio Ancyrensi affirmat* Caus. 26. Cap. 12. Episcopi, q. 5. *Et stultos ac hebetes ait, qvi hæc, qvæ solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitrentur, ac talia credentem fidem perdidisse ait.* ℞. Concilia & jus Canonicum *contra apertam veritatem solidis experientiis, exemplis, confeßionibus & deductionibus firmatam non habent præscribere, cum res Sathanæ poßibilis, & in multis facto exercita sit,* t. 10. 11. 12. *Si talia credens fidem perdidit,* Remigius, Delrius, Cigogna, Bodinus, *multiq;* Phil. & Theologi Itali & Hispani Pontificii *eam perdidere, qvi exporta-*

portationem sæpe realem credunt, t. 10. *Quod valdè rigidum*. Malleus Maleficar. T. 2. p. 18. *Concilium particulare esse ait, non generale, eoq́; non stringere, & ex levitate factum videri*. Tolosan. l. 13. d. Rep. C. 28. num. 16. *etiam pro suspecto habet, ac à Gratiano inter paleas referri ait*. Alii *sensum eum faciunt, Vt exportationes istas non numini alicui & divino spiritui tribuendas velit, ut Dianæ, quod Magi interdum faciunt. V. latè* Tannerum T. 1. Th. Sch. d. 5. qu. 5. d. 3. Neq́; *hac res de fide est, sed Sathanico aliquo actu, quem si quis verè aut falsò exerceri sentiat, non statim fidem habebit, aut amittet. Et* Concilium *de illis etiam loquitur, qui cum Dianâ aut Herodiade se convenire putant, qualia Ethnica commenta sunt, non realia gesta*. 5. Non potest Spiritus *ut Incorporeus, molem corpoream loco movere, hoc enim molem etiam requirit. E. nec Sathan corpora Sagarum*. ℞. Omninò *id potest, & quod in assumpto corpore substantialiter præsens sit, ac voluntate corpus impellat, & quòd eadem voluntate per illud corpus aliud ei contiguum promoveat, Vt in* Michaëlib. t. 41. 43. *dictum. Sic Sathanas in hirco, Cane, equo, scopis, quibus se uniit, Sagas provehit, quando ea istis insident*, t. 12. 6. Omnia *in istis conventibus nomine Jesu audito, evanescunt*, t. 12. *At quæ realia sunt, non momento evanescere possunt. E. ista omnia phantastica sunt*. ℞. Non evanuerunt ista, *si realia fuerunt, sed celerrimè à Sathanâ asportata sunt, & coeterorum oculi præstricti, ne viderent, & sic videri desierunt, & largè vocem sumendo evanuisse dici queunt*.

15. Interdùm imaginariam *& in somniis excitatam exportationem esse patet*, 1. Quia sæpè *somno profundo mersæ sagæ animadversæ sunt, eo tempore, quo se ad convivia sua exportatas fuisse dixerunt, Vt illa, quæ à* Bapt. Portâ *observata est*

L. 2. M. Nat. C. 26. Alia *In ducatu Megapolensi, à Nobili, Pastore, & domesticis observata*, Gœdelman. L. 2. C. 4. *Sic in vita Germani vicini & vicinæ epulari apud magos visi domi in lectis stertentes animadversi, & convivæ à Germano adjurati dæmones se esse confessi sunt.* Aliæ *in lectis cum Viris cubuerunt, cum se sub Tellina arbore fuisse dixerunt.* Idem c. l. *Sabinensis aliqua & Coquus sagarum è lectis non desiderati.* Alia *domi sua convivis assedit, & inter lamias epulari visa est.* Idem c. l. Alius *conviviis interesse sibi visus manè inter vepres hæsit.* Camerar. C. 1. hor. succ. C. 72. *Saga coram Tostato se inungens somno oppressa est, & maria ac terras peragrasse dixit, Vt* Ipse in c. 13. Gen. q. 354. *narrat. Similia de aliis* Tannerus T. 1. c. l. d. 3. n. 13. & Pererius l. 4. in Gen. n. 184. *notant.* Argentinensis *aliqua lintre pistorio se collocans, lintre everso in pavimentum cum vulnere delapsa varia, ubi fuisset, narravit. Sed vulvere convicta, quòd domo nō excessisset.* Manl. Coll. p. 764. Lercheim. d. Zaub. n. 13. Duæ *sagæ coram Comite aliquo similiter.* Idem c. l. Alia *coram Judice, & quadam Patavii.* Vid. Spineum de strigib. c. 2. in T. 2. Mall. malef. p. 458. seq. 2. Quia *somnum profundum unguenta & res è quib. constant, ut mandragora, papaver, hyoscyamus, Cicuta, & cibi, quos adhibent, ut apium, cepe, fabæ, phaseoli, & similia conciliant, ac ad flatulenta turbulentaq; somnia excitanda habilia sunt. Et in somno prodigiosa somnia excitare Diabolo difficile non est, & in quibusdam excitasse exempla docent.*

16. 3. Quia plerumq; *spiritus mendax, & fraudum ac imposturarum magister est, Mille artifex fraudum, scelerisq; Magister & author, intentus in hominum deceptionem, & mille modis eos illudens, ac facto decepisse exempla probant,* V. t. 15. Et t. 18. *Credibile, & hic sæpius illudere.* Dices 1. Pinguia,

gusa, ut olea, unguenta, *sunt calida & inflammantia. Quæ soporem a. inferunt frigida esse debent, ut spiritus sistant, qualia opium, cicuta, mandragora. E. unguentis suis Magi sopo-rari non poterunt. Ita* Bodinus. *R. Somnus nō ab unguento, Cum oleum aut succi formam adaptare possis, ut eundem soporem inducas: Sed substantialibus formis unguentū ingredientib. est, quæ temperamento narcotico prædita, & in basi confectionis consistunt. Vnde narcoticam vim exserunt, sensusq́ ligant & obstupefaciunt. Pinguedo ad meliorem inunctionem & tenaciorem adhærentiam jungitur. Nam & aliâ confectionis formâ concilies. Sic laudanum opiatum* Paracelsi *formâ pilulari, emulsiones, decocta, Conserva, condita, electuaria, pulveres, epithemata ad somnum ap.* Medicos. V. Sennert. l. 1. Pr. Med. p. 2. c. 1. 2. Falsum, *omnia soporifera esse frigida. Quandoq́ calida esse queunt, Vt Coriander, Crocus, Vinum, opium, juxta multos calidum,* V. Doringium d. Opio, s. 2. *Quæ vaporosâ indigestaq́ humiditate spiritus confundunt, sistunt, Anethum, styrax, lolium, è quo pane utentes primò in amentiam, post profundum somnum incidisse* Wierus l. 3. c. 17. d. præst. *narrat, ubi & oleum ex lolio soporiferum adducit. Vnguentum autem lamiarum soporiferum esse ingredientia ejus docent, quæ* Porta & Cardanus *apud* Wier. c. l. *describunt. Cum narcoticâ spiritus ac sensus sistendi vi aliquid præditum est, somniferum est, quicquid de calido aut frigido sit, quod indifferens hic, ut in Phys. & Medicis docetur.* Conf. Sennert. l. 2. Inst. Med. p 3. s. 2. c. 4.

17. 2. Si ad somnum inducendum *unguentum adhibetur, magis capiti ac fronti inungendum. Sic enim in soporiferis solemus. At lamiæ toti Corpori, crurib. dorso, lateribus, illinunt.* R. Si toti Corpori, *quidni etiam capiti, fronti, temporibus? Sed accurata ista inunctio doli gratiâ occupata est, nec*

praecisè ad rem facit. Quomodo multa vana ac futilia in Magicis occupantur, quib. nihil ad effectum efficacia. Vt signatura, ligatura, Cerimoniæ, ritus, demurmurationes. Nam & sine unctione à Sathanâ expertata sunt, verbis tantũ demurmuratis, ap. Delrium q. 16. 3. Cur inunctionem magis ad exportationem *Sathanas adhibere vult, quàm aliud?* R. Vel quia *sic obedientiam sagarum explorare libitum:* Vel quia *timidiores sagæ sunt, quàm ut insidere audeant:* Vel quia *teneriores, quàm ut horribilem istum Sathanæ in Corpore assumpto contactum ferre queant, eoq́ unguento sensus obstupefiunt, ut minùs exportationem sentiant:* Vel quia *superstitionibus mulieres attinere, & unguentis vim mirabilem inesse persuadere cupit:* Vel quia *sacras inunctiones hominum in V. & N. T. à Deo institutas mimicè adumbrare vult, ac per tales cerimonias suis orgiis venerationem apud suos conciliare.* 4. Sæpè Magi reversi *cultros, literas, aliaq́ secum deferunt, multasq́ circumstantias visorum enarrant. E. non merè imaginaria exportatio. R. Sæpè est realis*, t. 11. 13. *Sed sæpè & elusiones intercurrunt, sagæq́ stertere visæ sunt, Cum se ad convivia itasse narrârunt*, t. 15.

18. Modi autem, *quibus Sathanas hominib. illudere solet & potest, varii omninò sunt, ut vix omnes recenseri queant.* Inprimis *si homines Melancholici, vetulæ, stupidi, avari, furiosi, creduli, simplices, profani, impii, inquieti, turbati, curiosi, sint, quales magas & sagas frequenter esse certum est, variè pro complexionum diversitate & naturæ dispositionibus se illis insinuare, eas afficere, turbare, ac eludere valet.* Et tàm illudendo, *seu falsum ex immutatione objecti, sensus, aut medii*, quàm præstingendo, *vel sensum internum & externum immutando, dementat.* Potiores *modi sequentes esse possunt.*

1. Verum objectum removendo, *occultando, umbrâ, ne appareat, cooperiendo, aliò transferendo. Sic Erfordiæ monachus currum fœni cum equis devorare visus, sed extra urbem post inventa ea, eoq; à Sathanâ exportata. Idem* Faustus *rustico de viâ cedere nolenti fecit, Et* Sedechias *magus equiti armato & currui ac aurigæ,* Gœdelman. l. 1. c. 3. Zytho *Bohemus Bavarum magum coram Wenceslao Imp. cum omni apparatu devorare visus est, calceis saltem exsputis, ut luto obsitis, post præstigiatorem in vas aquâ plenum excrevit, & ridendum spectantibus restituit.* Cigogna l. 4. c. 8. Delrius l. 2. q. 30. s. 1. *In vas aquæ hic injectus, aut aliò â Sathanâ abreptus est.* Apollonius *Romæ in prætorio consistens accusatus & absolutus, momento disparuit, statimq; Dicæarchiæ ad mare Damidi & Demetrio non exspectatus adfuit.* Boisardus d. Magiâ, p. 343. Idem *coram Severo accusatus & incarcerandus, disparuit, & Puteolis in Campaniâ eodem die apparuit.* Gœdelman. l. 2. c. 4. n. 37. Zuingerus Vol. 5. l. 4. *Viennæ Magus Magum devorare visus. Sed alter in specum abductus est, ubi triduum latuit, post reversus.* Manlius Collectan. p. 40. *Præstigiator aliquis Magdeburgi in Cœlum se ascensurum dicens in aërem sublatus est. Sed alius in vico ad diversorium ejus ipsum abeuntem vidit.* Gœdelman. l. 1. c. 3. num. 17. *Eò nempè â Sathanâ delatus.* 2. Aliud in locum remoti celerrimè substituendo. *Sic Magi Aegyptii pro baculis remotis dracones substituerunt,* C. 1. t. 2. *Diomedis socii remoti, aves eorum loco substitutæ, quæ circa templum ejus volârunt, & genus suum per successionem postea propagârunt, ut creditum fuit.* Augustinus l. 18. d. Ci. D. c. 18. Malleus mal. T. 2. p. 20. *Sic rosas, flores, ex remotissimis locis, ubi ea vernant, adducere & exhibere mirâ celeritate potest.* Tholosan. c. 21. num. 5. *Vlyssis socii amoti, & bestiæ eorum loco â dæ-*

mone per Circem substituti fuerunt. Augustinus c. l. *Breviarium cujusdam Curionis ablatum, & charta lusoriæ pro eo substituta sunt.* Zuinger. Vol. 5. l. 4. *Sic Cerva pro Iphigeniâ Agamemnonis filiâ substituta, & illa subtracta, ac viva postea reperta est.* Augustin. c. l.

19. 3. Sensus hominis externos & internos variè præstringendo, falsaq; & phantastica corpora objiciendo, quæ in speciem talia appareant, cum reverâ non sint. Externos *per illusionen, internos per dementationem præstringit.* Externos, *ut cum varias larvas ac umbras objicit, quibus nihil soliditatis subest. Sic Comes quidam Aspremontensis ad se venientes magnificè tractare solitus est. Vbi discesserunt, fame sitiq́ penè oppressi fuerunt.* Bodin. l. 2. dæm. c. 4. Camera. c. 1. c. 72. *Simile quid de Euno Mago Anglo* Cigogna l. 4. p 1. c. 8. de Magiâ, *Pasete Græco* Wierus l. 2. c. 7. *Wagnero Fausti famulo* Hildebrandus in Theurgia, p. 73. seq. *referunt.* Idem *Scottus Parmensis fecit, ex cujus epulis saturi mox verâ fame cruciati sunt.* Delrius l. 2. q. 12. Albertus M. *ferijs Natal: Wilhelmi Cas: palatiū Coloniæ arborib. herbis, frondib. instar cultissimi horti florere fecit, lusciniis, merulis, alaudis, personare. Cum omnia præstigiosa essent.* Idem *in suo horto simili tempore Faustus spectantib. repræsentavit.* Hist. Fausti, c. 61. Zytho *Magus cuidam obesos porcos vendidit, qui postea stramina fuerunt. In hospitio expostulanti pedem cum crure è corpore sibi abstrahi fecit, unde ingens rixa, & de porcis oblivio secuta. Postea crus membris suis refixum.* Gœdelman l. 3. c. 3 Delrius l. 2. q. 6. *Quidam & equum venditum fuisse addunt, qui in aquâ in stramen commutatus.* Grosius p. 1. Magicor. p. 129. *In Thuringiâ Nobiles quidam 8. lepores ceperunt. Manè ubi excoriare eos volunt, capita equina excoriata esse viderunt.* Hildebrand.

brand. c. 1. p. 71. Faustus *sodalitio ebrio vitem uvis plenam in mensâ exhibuit, Postea pro uvâ quivis nasum suum tenuit.* Camerar. C. 1. c. 70. Alius *Magus in area arcis Bononiensis ducib. quibusdam conflictus exhibuit, tympanorum, tubarum, virorum, equorum, armorum, fragorib. ita detonantib. ut Cœlum terræ misceri videretur. Extra arcem omnia tranquilla fuerunt.* Cigogna l. 3. Mag. c. 5. *Simile quid de Fausto ejus historia habet* c. 62. Diacono *cuidam domus aurea, thronus regius, platea marmorea, aurea, gemmea, à viatore aliquo ostensa.* Postea *remotis præstigiis domus sterquilinium, viator Diabolus fuit, & Diaconus in paludoso sentibusq; pleno loco mersus fuit, ut triduo vix domum repetere potuerit.* Ex Vincentio & Sigeberto Grosius p. 1. Magicor. p. 42. *tradit. Toleti tonsor aliquis vitulus spectantibus visus per præstigias* Wagneri *Magi, Cum reverâ homo esset.* Idem *Paduæ Viro alicui Caput bovinum, Uxori ejus vaccinum aptatum esse videri fecit, cum reverâ capita humana essent.* Hildebrand. p. 75. Göetiæ. *Toleti studiosi in sues ab eodem mutati, donec ab alio mago pristinæ formæ restituti.* Idem p. 67. *Præstantii Pater se Caballum esse, & annonam cum aliis portare putavit.* August. l. 18. d. civ. DEI. c. 17. *Ita puella quædam cum dæmone specie formosissimi juvenis rem habuit, qui postea immane monstrum reverâ fuit.* Melander T. 3. Jocoser. c. 263. *Militem Sathan elusit, ut cum amasiâ suâ congredi videretur. Mane in cœno extra urbem asini cadaver amplectens jacuit.* Idem T. 1. c. 15. *Sic capita interdùm resecare, & imponere videntur. Magus quidam alteri Mago, quòd eum in actione impedivisset, vitam ademit, cum lilium in mensâ cresere fecisset, ciq; caput & flores amputasset.* Gœdelman. c. l. *Simon Magus cervices sibi à Nerone abscindi jussit. Ubi fieri debuit, arietem loco ejus decollârunt, &*

Simon

Simon illæsus evasit. Apulejus 3. homines se occidere putabat, cum tres hircinas pelles â Pamphilâ saga fascinatus confodisset. Bodinus l. 2. c. 6. Zuinger. Vol. 5. l. 4. *Simile de Wagnero Mago legitur.* V. Hildebrand. Goeti. p. 76. *Vbi Johan. de Lunâ Toleti decollavit, Caput ad tonsorem misit, & relatum homini iterùm imposuit. Idem Francofurti Magi aliquot præstiterunt.* Idem p. 69. Et hist. Fausti c. 57. *Athenis circulator aliquis acutam spatham devorare, venatoriam lanceam in viscera condidisse visus, unde puer saltatorius exsurrexit.* Apulejus l. 1. d. asin. *Michael Sicidites Magus earum rerum, quas oculi intuebantur, conspectum eripiebat.* Zuing. c. l. *Sæpè Sathanas lamiis pecunias confert, quæ sublatis præstigiis fœna, stipulæ, texta, folia, ac quisquiliæ deprehenduntur. Vt Sennelæ, Catharinæ Metensi, Claud. Prorelia, Petronniæ, Banno, Drygæo aliisq; factum.* V. Remigium l. 1. Dæmonol. c. 4. Cigognam l. 3. c. 11. Simile Faustus & Agrippa *iter facientes fecerunt, nummos in diversoriis numerârunt, qui post paucos dies scruta, cornua, & similia fuerunt.* V. Beyerling. T 5. Tit. Magia, p. 16. *Cæsarea victima aliqua in fontes coram populo conjecta evanescere visa est. Sed Astirii precibus oculi populi aperti sunt, & victima fontibus iterùm supernatavit.* Eusebius l. 7. hist. Eccles. c. 14. Delrius l. 2. q. 8.

19. *Sic circulatores & agyrtæ sensus variè eludere possunt, ut alia appareant, quàm sint. Ita cibos deglutire jubent, postea stercora aliaq; evomunt. Rosam in gremium projiciunt, unde virile membrum, rana, exsurgit. Super gladios ac mucrones illæsi incedunt, illis sine læsione incumbunt.* Idem c. l. Simon Magus *ex lapidibus panes facere, flammis circumdatus non uri, volatu per aerem ferri, in varias animantium formas mutari, statuas movere, visus est. Similia* Sedecias *Magus*

patra-

patravit. Tholoſan. l. 34. c. 16. Lavaterus de ſpectris, p. 2. cap. 17. *Vide &* Delrium lib. 2. q. 9. Michael Sidicites *Magus Conſtantinopoli naviculam ollas ac patinas vehentem videns, Magicis præſtigiis horrendum ſerpentem ſuper vaſa porrectum inſtar devoraturi in Nautam intentum apparere fecit, unde nauta vaſa omnia baculis confregit. Poſtea ſerpens evanuit, & nauta ſe deluſum vidit, ac jacturam mercium deploravit.* Nicetas. Cigogna c. 8. l. 4. Interdùm in objectis ſenſuum aliquid immutat, addendo, minuendo, ſpeciem rei variando, agitando, occultando, variè collocando, ſeparando, conglutinando. Interdùm organa ſenſuum & humores corrumpit, *ut aliter res, ac ſe habet, videatur. Sic Ictericis omnia flava, atrobilariis amara videntur:* Interdùm media ſentiendi immutat, *& ſic corrumpit. Sic per vitrum viride & cæruleum videntib. omnia viridia videntur. Ita aërem interjectum condenſare, & rei, quam oſtendere vult, aſſimilare poteſt. Exempla* Casmannus p. 2. Angelogr: c. 29. *habet.* Interdùm medium impedit, *ne ſpecies per illud ad ſenſum deferatur.* Ut cum *objectum aut partem vel modum ejus occultat:* Vel *qualitate alienâ imbuit, quâ ſpecies per medium tranſiens objectum aliter, ac eſt, repræſentat. Sic ſi aceto & ſale commiſtis pannus imbuatur, & ſuppoſita candela incendatur, ſpecies hinc diffuſa valdè formidabiles erunt. Si candela ex ſemine aſini & cerâ incendatur, præſentes onocephalos videri faciet:* Vel *illud inſpiſſat, ſic denarius in aquâ major apparet:* Vel *cum aëre moto ſimùl ſpeciem ſenſilem movet, ut navigantibus ſimul arbores, terra, & littora moveri videntur:* Vel *ſpecies multiplicat aut variè conformat, ut cum unicum conſpicillum plures objecti figuras repræſentat:* Vel *inſtrumenta, per qua videndum, detorquet, vel alio modo*

illudit, prout naturalium & artificialium machinationum gnarissimus est. In summâ, Vel *objectum, quod,* Vel *medium, per quod,* Vel *Organum, quo sentitur, immutando illudit. Prout latiùs alibi deducitur, & pluribus* Molina in 1. part. q. 111. art. 4. *pertractat.*

20. Internos sensus, *ut phantasiam, sensum communem, & rationem dementatione præstringit.* Phantasiam, *ut mentem vanis conceptib. instruat, aptissima, ut Corpus spiritu perciat, potentissima est. Eam ergò inprimis obsidet, itaq; obfirmat, ut æstimativæ facultati aut rationi, de illis, quod ipse persuasit, judicandi locum nullum relinquat. Sic inordinata cogitata, impetuosos affectus, furores, & similia suis immittit, quibus mens turbata & phantasia commota omnia alia, quàm in re se habent, concipere solet. Sic Sibyllæ furore acta vaticinari solent,* Plato in Phœdro, Plutarchus l. Cur Pytho non carmina reddat, aliiq;. V. Boisardum d. divin. *Sic Patri Præstantii se caballum esse visum est,* t. 19. Alii *se Regum filios, Quidam Magi se Christum DEI filium esse mentiti sunt, ut* Benchobab, *& alii. Sic Spiritus & humores in Corpore subtilissimè subire, iis se immiscere, eosq; perturbare potest, unde varia & portentosa visa ac somnia in turbatis spiritibus succedere possunt.* Et quæ somniis *aut imaginatione impressiones exhibentur, fortissima esse possunt, ut exempla* t. 15. *docent. Sic quidam tàm fortiter imaginem mulieris sibi impressit, ut vigilans carnaliter ei commisceri videretur.* Mall. malef. T. 2. Tr. d. pyth. mul. c. 8. *Similiter in somniis alienissima & remotissima interdùm, quæ ad Borysthenem aut Herculis columnas, ut* Aristot. l. d. divinat. *loquitur, gesta sunt, adumbrantur, quorum principium in Nobis minimè est, cum nec è sensu, nec memoriâ extiterint, sed externum esse cogitur, ipsæ res externæ, quarum*

quarum illa indicia sunt, & quæ ita imprimantur, inprimis in maniacis ac melancholicis, ut etsi falsæ sint, pro veris tamen habeantur ac proferantur. Sic multò magis diabolus, *vis externa, celerrima, efficacissima, subtilissima, in suis, quas pro lubitu versat ac agitat, præter motus celeritatem etiam per violentiam impressionis in animo visa ac species imprimere poterit, quas ut veras habere ac recensere deliros vetularum animos nihil miri est, & pertinaciter illis inhærere credibile est.*

21. 4. Formam ipse aliquam assumendo, *in eâ aliquid repræsentando ac operando. Sic magos exportando formam equi, Canis, hirci, assumit,* t. 12. Alibi *in specie hominis, ut Martini, pueri nigri, Antonii, pulcræ mulieris, ut Eligio, apparuit.* Mall. malef. c.l.c.5. *Cynopi Mago 3. dæmones specie hominum in Pharo adstiterunt.* Boisard. d. divin. in Jamblicho. *Pro vicinis se in convivio repræsentavit,*t.15. *Pro Simone Mago foris ad [illegible]ulum apparuit, cum ipse Simon in conclavi cum Nerone esset,* Mal. mal. c. 9. *Friderico Austriæ Duci hospitis ac equi specie apparuit, e carcere ad Lupoldum fratrem ducturum promittens,* Lavater. d. spectr. p. 2. c. 17. Meland. T. 1. Jocoser. c. 457. In ærifodinis *specie virunculorũ montanorum ac metallicorum apparet, nec facilè lædit, nisi irritatus, ut* Dec. 2. Mis. d. 1. t. 23. *adduxi.* V. Agricol. d. reb. subterr. *Aliis aliâ formâ visus est.* V. Melandr. c. l. c. 448. seq. *Romanis in Aetoliâ lupi specie è saltu venientis se stitit, & Publium membratìm discerpsit ac devoravit, capite relicto, ex quo post obitum locutus.* Boisard. d. Mag. c. 10. *Comiti cuidam specie festucarum inter se diversis gyris colludentium, scrophæ lutosæ, Domitio specie juvenum apparuit.* Idem c. l. *Quandoq; sub vespertilione, mure, mustela, cato, lupo, gallo, vulpecula, Dracone, Christo, DEO, sancto angelo, & simili visus.* Delrius l. 2.

 q. 28.

q. 28. ſ. 3. *Sic muſca ſpecie à puellâ deglutitus obſeſſam eam reddidit.* Niderus C. 11. formicar. *Interdum aliis formis apparuit.* V. Groſium p. 1. Magic. C. 1. 2. ſeq. Et p. 46. 48. *Erfordiæ in auditorio ſpecie Græcorum ad Trojam bellãtium à Fauſto ſtudioſis repræſentatus eſt, cum Homerum ipſis explicaret.* Hiſt. Fauſti, C. 52.

22. 5. Pro cadaverib. demortuis ſe repræſentando, *eorum corpus, formam, geſtum, aſſumendo, ea vegetando, ac per ea operando.* Sic *Philijnnii cadaver animavit, & poſt mortem ad Machatem venit, cui à parentib. negata fuit, cum eo per biduum vixit, donec corpus exſangue iterùm ante parentes concidit.* Buplagi *cadaver in cæſo Antiochi exercitu animavit, & ad quædam prædicenda inſtruxit, quib. factus iterùm cadaver exſpiravit.* Veruini *Piccardiæ Corpus ſuſpenſi aſſumpſit, & ſe Dæmonem ex obſeſſâ pulſurum promiſit.* Polycriti *Corpus reduxit, per illud Aetolis locutus, & filium poſt mortem ejus natum devoravit, capite relicto, ex quo etiam cum illis locutus. Cadaver cujusdam Mortui catenis cincti Athenodoro oſtendit, locumq́ ſepulturæ ſuæ monſtravit. Gabinii cadaver Pompejanis locutum eſt.* Boiſardus l. c. *Citharistriæ cujusdam Bononienſis umbram reduxit, ut incederet, citharam pulſaret, ſaltaret.* Idem c.l. & Meland. Tom. 1. Jocoſ. C. 362. *Quidam 2. annos ſic egiſſe ajunt.* Manl. Coll. pag. 40. Lercheim. d. Zaub. c. 14. Cigogna lib. 4. c. 7. *Puellæ cujusdam exſangue cadaver ibidem domum reduxit. Aliam in gynæceo Ferdinandi Caſtiliæ Regis, in vitam revocavit, ut edere, bibere, choreas ducere per annum videretur.* Boiſard. cit. loc. *Cadaver Mariæ Burgundicæ reduxit & Cæſari oſtendit.* Goëdelm. l. 1. c. 4. num. 15. Lercheim. d. Zauber. c. 8. *Aliud Cadaver ſuſpenſi pro ſpectro in domo aliquâ circumduxit, donec ab oppugnatoribus agnitum fuit,* Id. c. l. c. 14. *Trium ſuſpenſorum cadavera vegetavit, & ſub ſpecie proci, tibicinis,*

ac fidicinis ad ædes cujusdam propè Rotenburgam sæpius deduxit, quasi filiam ejus ducturi. Manlius c. l. p. 41. Lercheim. c. l. *Vmbra Thesei Græcis in pugnâ Marathoniâ contra Persas fulgentibus armis & pugnatura visa est.* Boisard. c. 10. *Achillis cadaver Apollonio reduxit, speciemq́ corporis ejus ostendit. Johannes Teutonicus Halberstadii Convivarum suorum patres ex inferis reduxit, & convivis ostendit.* Zuinger. Vol. 5. l. 4. *Nobili cuidam Bavaro defunctam uxorem lugenti cadaver ejus restituit, vegetavit, cum eo concubuit, liberos sustulit, & ob mariti convitia muliebri veste penes eum relictâ tandem evanuit.* Grosius in Magicis p. 44. Delrius lib. 2. q. 15. Gœdelman. c. l. n. 17. Sabinus in 10. Metam. Ovid. *Qui quosdam è duce Bavariæ & Saxoniæ id audiusse refert; Et* Lutherus *idem ex Electore Joh. Friderico audivit, judiciumq́ suum de eo tulit* ap. Gœdelm. c. l. & Hildebrand. p. 105. Goetiæ. *Similis historia, si non eadem, de aulico quodam Germano à* Remigio l. 2. c. 1. *recensetur. In Pathmo insulâ Cynops mortua cadavera resuscitare videbatur: Sathanas enim ea vegetabat, & specie eorum ad tempus obambulabat.* Id. cit. l. n. 12. c. 4. t. 22. *Sic commensalis Agrippæ nimium curiosi & in musæo conjurationes dæmonum legentis, cum dæmon eum suffocasset, jussu Agrippæ cadaver animavit, in forum deduxit, ter quaterve ambulavit, postea deseruit, & corpus concidit.* Delrius l. 2. q. 29. s. 1. Beyerlingius l. 4. Polyanth. voce dæmon. *Ita gladiatoris alicujus corpus ante biduum in pugnâ occisi animavit, & pro Apolline circumduxit, donec Jamblichus spiritum expulit, & cadaver concidit.* Cigogna l. 4. c. 7. Unde corpora desumat Satanas, *quomodo ea sibi uniat, vegetet, per ea operetur, loquatur, concumbat, an notâ aliqua à veris solidisq́ corporibus internosci, an tactu legitimè*

 explo-

explorari, an & illum, ut sensum carnalem & materialem fallere possint, Cur vix corpore colũbæ, oviculæ, agni, apparuerit, & similia, quæ hic moveri possint, ad dæmonologiam aliquã & doctrinam de angelis *pertinent. Quædam & è* Michaël. c. 44. *patent.*

23. 2. Hic *quæritur:* An & innocentes quandoq; in maleficorum exportatorum cœtu conspici queant, an firmum pro Magiâ sit indicium, si quis in cœtu isto nocturno conspectus fuerit? *Repræsentari interdum à Sathanâ innocentum imagines extra tales conventus, citra dubium est. Sic imago Samuelis Sauli apparuit,* 1. Sam. 28. 14. *Imago Christi Martino, cum reverâ Christus non esset.* Sulpit. in vit. Mart. *Et se Sathanas in angelum lucis transfigurare dicitur* 2. Cor. 11. 14. Exempla ap. C. à Lapide in h. l. *vide. Sed an in istis Magorũ cœtibus tales etiam appareant, majoris quæstionis est. Distinguendum hic inter id,* quod dæmon ex viribus Naturæ suæ possit, Et id, quod DEus ei permissurus sit. Quà vires dæmonis, *potest eadem vi, quà sagas sistit, & innocentes sistere.* Et extra conventus *species horum interdum stitit,* Ut antè *dictum.* Veruntamen actu id præstare vix à DEo permittetur, *aut valde rarò. Vt in mulieris specie, quæ reverâ domi cònvivis ad mensam assedit, nec loco mota fuit,* c. 15. *Quam innocentem Historici fuisse referunt.* 1. Quia singulari DEI circa innocentes providentiæ & curæ id *non consentaneum est, quà in adjutorio & protectione altissimi esse dicuntur, ut timores nocturnos nõ paveant,* nec pavere necesse habeant. Psal. 91. v. 1. seq. 2. Quia maximè innocentibus injurium est. *Prodentur enim à Magis quæstionibus subjectis, & ante cæteros nominabuntur, cum maximo in probos odio sagæ flagrent.* 3. Quia non permittit DEus dæmoni *sub innocen-*

innocentum formâ furta, adulteria, latrocinia, committere, Vt in suspicionem ac vitæ discrimen ipsos conjiceret, quod libentissimè faceret. Non ergò & in cœtibus eos repræsentari permittet, ut in similem suspicionem inducantur. 4. Quia aliàs perpetuo timori pii subjecti esse cogentur, *ne sistantur, & in suspicionem Magiæ ac torturas deveniant, quod securitati & fiduciæ eorum in DEum adversum est.* 5. Quia communis *proborum Cõsensus & propria sagarũ confessio quandoq; id probat, non adesse ipsis Innocentes.* Dices: Permittit DEus Sathanæ, ut innocentes bonis ac corpore divexet, ut Jobi & Pauli exempla docent, Quod majus est. Cur non minus ei permittat, eos in conventibus Magorum sistere? R. Exagitatio ista *saltem castigatio & probatio piorum est, eoq; citra injuriam â DEO permitti potest. Sed cum sagis repræsentatio valida collusionis præsumptio & Magiæ suspicio est, eoq; piis valdè injuriosa, ac innocentiæ horum probrosa & præjudiciosa est, cum DEus potius innocentiam servatam ac defensam velit, quàm prostitutam, et in sinistram suspicionem eam adducere velle non potest. Eoq; hoc* vix *Diabolo permissum velle poterit.*

CAPUT V.

De sagarum cum Sathanâ congressu, partu, & liberis indè prognatis.

F*Vit* primum, quod Magis quà corpus & animam contingere creditur, Exportatio ad loca conventus Magici: Sequitur congressus eorum cum Sathanâ, & liberis ex eo congressu natis, ac similibus. *De quibus quæritur* 1. An

verè Sathanas cum Magis congredi queat, & quid de eo congressu habendum? Bodinus l. 2. c. 7. *verè id fieri tradit, multisq; Sagarum confessionibus & authorum authoritatibus confirmat.* Henr. Coloniensis *nihil in Germaniâ adeò vulgatum ait, & in totâ Græciâ, ac Italiâ notissimum esse. Faunos, Satyros, Sylvanos, dæmones esse, & σαλυρίζειν nil aliud, quàm scortari sonare.* Augustinus l. 15. d. C. D. C. 23. congressum illum adeò certum ait, ut contradicere magna sit impudentia. Communis opinio est *de Diabolis incubis, qui mulieribus, & succubis, qui Viris concumbant.* Lutherus in Coll. mensal. Danæus l. 2 c. 14. Eth. Christ. & Tr. d. sortiar. Erastus de lamiis, Sprengerus T. 1. mal. d. malefic. quęst. 3. Multiq; antiquiorum, Patrum, ut Philo, Josephus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Plethon, Isidorus, & Philosophorum, ut Plato in Cratylo, Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, Alensis, *apud* Delrium l. 2. q. 15. & l. 5. s. 16. *Et ex recentioribus*, Pererius l. 8. in Gen. d. 1. Tostatus in c. 6. Gen. q. 6. Delrius c. l. Boisardus d. Magia, c 7. Binsfeldius d. confess. malef. Concl. 5. Vallesius c. 8. sac. Phil. Tholosanus l. 34. Syntag. C. 20. num. 21. seq. Alstedius Th. Cas. c. 19. t. 5. num. 49. Stumpfius l. 3. d. Sagis c. 2. Beyerling. l. 4. Polyanth. Voce Dæmon, p. 2. 3. Conimbricenses in l. 1. d. generat. c. 4. q. 10. a. 3. Hildebrand. p. 99. seq. Goëti. Eustachius S. Pauli p. 3. Phys. tr. 2. d. 4. q. 3. Zanchius, Hemmimgius, Zepperus ap. Voetium d. 8. p. 1. t. 12. aliiq; *idem affirmant.* Ex adverso *totum phantasticum & illusorium hoc habent* Goëdelm. L. 2. C. 5. Wierus l. 3. d. pręst. c. 19. 20. 22. 23. Et l. d. lamiis, C. 13. Lercheim. C. 13. Scaliger ex. 355. Chytręus pręf. Panurgi. Martyr in 1. Sam. C. 28. Molitor. d. lam. C. 10. Fichardus Cons. 111. Bierman. d. Mag. act. t. 32.

De congressu ac partu Magico.

Thesis I.

JAc. Martini Cent. 6. d. 2. q. 7. Sculcetus de Sagis c. 7. 8. Harprechtus T. 4. Op. pag. 1042. seq. Timplerus l. 4. Meta. c. 4. q. 26. Voetius c. l. *Ex Italis* Cardanus, Pontzinibius, & Porta, *Ex Belgis* Brodæus ap. Delrium c. l. *Idem* Remigius l. 1. c. 6. alijq; *censent.*

2. Verior sententia est, mediâ viâ hic incedere, *& concubitum hunc* partim verum, partim imaginarium *esse asserere. Ita* Alsted. p. 3. Pnevm. c. 9. alijq;. Verum, *quando corpus aliquod assumpsit Diabolus, ut cadaver vel ex aëre, vapore, luto, nube, aliavè materiâ sibi aptavit, illudq; vegetavit.* Imaginarium, *quando phantasias lamiarum corrupit, ut se congredi existiment, & somnient, cum verè nihil fiat, quomodo exportatio earum ad conventus interdum præstigiosa est,* C. 4. t. 15. Prius probatur 1. Quia omnia ea, quæ ad congrediendum requiruntur, imitatione aliquâ Diabolus in corpore exprimere potest, *V. g. Corpus assumere vel de novo ex elementis formare, ad similitudinem carnis palpabile effingere & exhibere, illud vegetare, movere, calefacere, per illud operari, loqvi, amplecti, hoc illovè situ se præsentare, cubando, sedendo, stando, sexum artificiosè imitari, membra virilia aut muliebria in corpore exprimere, Viris specie fœmineâ, fœminis virili se sociare, mulieres sibi subjicere, Viris se substernere, naturalem seminis emissionem imitari, aut aliunde qvocunq; modo raptum & adductum ejaculari. E. & cum Sagis* in tali specie *congredi poterit.*

3. 2. Qvia certa & non fallax experientia congressum istum qvandoq; verum & realem esse attestatur.

Sic cum nobili Bavaro specie conjugis â mortuis reductæ congressus est, & liberos sustulit, c. 4. t. 22. *In Borussiâ incubi cum Vxoribus Virorum rem habuerunt Anno 1247.* Schützius l. 1. Chron. p. 25. a. *In Concilio Constantiensi in incredibili meretricum se prostituentium multitudine & Dæmon succubus specie fœminæ formosæ adfuit, multumq́ pecuniæ ex congressu meritus est, ut Viatori alicui ostendit.* Niderus c. 9. formicar. Merlinum Anglũ *ex Incubi & nobilis Britannicæ concubitu ortum esse constans fama fuit*, Hect. Boethius l. 7. hist. Scot. Vinc. Beluacensis l. 21. spec. histo. c. 30. Nauclerus Vol. 2. Gen. 15. *Idem de* Homero Plutarchus in vita ejus ex Aristotele 3. Poëtic. Et Politianus præf. in Homerum tradunt. V. Conimbric. c. l. *Constantia mulier quædam à Sathanâ compressa, & monachum specie mulieris venustissimæ ad impuros amplexus â Sathana incitatum* Hieronymus in Vit. Patr. tradit. V. Wierum, l. 3. d. lam. c. 32. *Cliuensium ducum originem ex simili concubitu specie militis incogniti deducunt, & tapetibus antiqvissimis in arce Cliuensi id intextum est*, Idem c. l. *Cum Wittebergensis Mercatoris uxore absente marito Dæmon specie Juvenis & Amasii congressus est, formamq́ Picæ postea assumpsit ac evanuit.* Idem c. 30. *Nec nudis negationibus aut fabulæ denominationib. talia expugnantur, qvæ* Wierus c. l. *reponit.* Ante *sexennium in primario Brabantiæ oppido mulier punita fuit, qvòd ex Dæmone pepererit. Nostris temporibus id contigisse* Molina ap. Delrium c. l. *prodidit.* *Nemo ex eo, qvod in somno aut somnio appetit vel committit, morte in foro soli punitur, cum non liberum in isto statu judicium habeat.* Hunnos *ex Arlunis (nomen id Gothicum est,* V. C. l. t. 15.*) strigibus Gothicis & Faunis originem ducere constans apud multos fama est, & apud* Jornandem

de

de rebus Gothicis, Luitprandum, & Ens rerum Hungar. l. 1. *memoratur. Cum Machate hospite Dæmon sub cadavere Philinnÿ virginis aliqvot noctes concubuit*, c. 4. t. 22. *Cum Sagis cadavere assumpto interdùm rem habet, unde cadaverosus in Sagis odor*. c. 3 t. 17. *Apud Indos occidentales vulgatum est, Numen ipsorum Cocoto, qvi sine dubio Diabolus est, fœminis concumbere*. Bodinus c. l. *Alia exempla* Binsfeldius c. l. *habet. Interdùm Sagæ post concubitum decumbunt, acsi vehementi agitatione debilitatæ fuissent, ut Morelia fassa est*, Remig. c. l. c. 6. *Sacerdoti cuidam Bened. Bernæ Dæmon succubus per annos 40. Et Pineto per totidem mulieris specie concubuit*. Wierus c. l. c. 33. *Bebburgi in Vbÿs punitus qvidam Stumpfius Petrus, qvod cum Dæmone succubâ plus 4. lustris consuesset*. Delrius c. l. q 18. Beyerling. T. 4. Polyauth. Voce Lupus. 3. Qvia idem confessiones variarum Sagarum, etiam, cum bono statu sunt, sub Judice, Inqvisitore, cessante omni phantasticâ somniatione, attestantur, *verè se aliqvando cum Sathanâ sub specie Viri rem habuisse, Circumstantias etiam materiales, & seminis rationem enarrant, qvalia nonnisi è realibus factis desumi solent. Vt* Johanna Haruilleria, Marg. Bremontia, Roberta, Guillemina; Maria, Guilielma, Magi Attrebatici, Sagæ Constantienses, Ratisbonenses, Magdalena Crucia, aliæq; apud Bodinum c. l. Interdùm in *agris & sylvis se retegunt, ac clarâ die cum Dæmone coëunt: Interdùm â Viris Diabolis hærentes deprehensæ, & gladÿs cæsæ sunt, Vt* Idem *narrat*. 4. Qvia interdùm *fœtus ex tali concubitu natus est, Vt* t. 10. *patebit. Ergò concubitum reale qvid fuisse necessum est*. 5. Qvia varij Patres, Philosophi gentiles & Christiani *eidem ut vero assentiuntur, Vt* t. 1. *patuit. Consensus autem præclarorum Virorum de aliqvâ re non te-*

merè rejiciendus. Credibile enim, *Ipsos ut Viros graves rem satis inqvirere, nosse, penetrare, & constituere posse.* 6. Qvia exportatio ad Conuiuia, *choreas, & tripudia, qvandoq; vera & realis est, non imaginaria,* c. 4. t. 10. *Credibile, & concubitum interdùm talem esse. Diabolus enim ut Spiritus impurus omni occasione ad hominem in impuritate detinendum & à licito conjugij usu avertendum intentus est.* Non ergò incredibile, *carnalem aliqvam voluptatem qvoad libidinem Veneriam materialiter suis mancipijs Eum conciliare.*

4. Dices *I.* Species disparatæ ad congrediendum & generandum non miscentur. Sed Spiritus & corpus substantiæ plusqvàm disparatæ sunt, oppositæ nempè. E. ad congrediendam non miscebuntur. ℞. *Antecedens in regno animali falsißimum est. Sic enim* hircus & cervus *coëundo miscentur, unde hircocervus,* Eqvus & cervus, *unde eqvicervus,* Canis & Vulpes, *unde Cynalopex,* Cervus & dama, *unde Cervidama,* Eqvus & bos, *unde eqvibos,* Leo & pardus, *unde leopardus,* Camelus & pardus, *unde Camelopardus,* Eqvus & asina, *unde mulus,* Lupus & cerva, *unde lynx, qvæ non figmenta, sed realia animalia in naturâ rerum existentia esse* Physiologi *docent, Et alibi à me ex* Scaligero, Plinio, Aristotele, *ostensum est.* V. Tractatum de modis prædicandi, f. 2. c. 1. t. 4. *Homo cum bestiâ per malitiam interdùm commiscetur, unde pœna peccato tali statuta,* Exod. 22. v. 19. *Æqvè autem oppositè distant animal rationale & bestiale, ac substantia Corporalis & Spiritualis.* Et si verum antecedens esset, de Naturâ in ordinario saltem cursu procedente verum esset. Præternaturaliter autem secùs interdùm esse posset, ut adducta exempla docent. Deinde *corpus & spiritus oppositæ substantiarum species sunt, qvà absolutè*

lutè in se sumpta, & tales manent. Sic enim & corporeum & incorporeum divertunt. In nostro autem casu Dæmon non absolutè Spiritus manet, sed corpus humanum ejusq; figuram assumit, *& in eâ ac per eam concubitum exercere dicitur, sicq; aliqvatenùs ad hominem accedit. Corpus enim humano analogum gerit, illud vegetat, movet, & operationes aliqvas per istud exercet.*

5. II. Si in Diabolo concubitus esse potest, & appetitus ad Venerem in eo erit. Si hic, & appetitus cibi ac potus aderit, & sic spiritus nutrientur, ac corpora erunt. ℞. Si concubitus ex innato naturali propriæ naturæ desiderio in eo est, tùm & appetitus Venerius erit. *Sed ex ascitâ & voluntariâ tantùm malitiâ is est, & appetitu gratificandi, hominemq; ad omne genus impuritatis commovendi, corpusq; & animam per luxuriæ vitium lædendi, & in baratrum præcipitandi. Vt genius enim impurissimus impuritate hominum gaudet, ad eamq; vi & fraude adigit, nullo naturæ desiderio, cum nec species ejus minuatur, nec generando propagari possit, nec conservatione opus habeat, cum Spiritus incorruptibilis sit. Qvicqvid hic agit, ut hominem in interitum præcipitet, agit, & in corpore assumpto ac alieno, non proprio, nec propriæ naturæ necessitate, qvæ concubitu opus non habet, eoq; nec nutritivo appetitu, nec corpore indiget.* 3. Sæpiùs Vetulæ in concubitu suo delusæ sunt, ut exempla testantur, t. 6. E. tota ista res vana videtur. ℞. Sæpiùs *hic commenta intercurrunt, ut* t. c. *patebit. Qvandoq; tamen & realitas subest,* t. 2. 3. *Vt â particulari ad universale in materiâ non necessariâ, qvalis hæc est, non statim inferri debeat. Sic exportatio Magorum ad conventus sæpè est delusoria,* c. 4. t. 15. *Qvandoq; tamen realis,* t. 11. 12. *IV.* Sagarum Confessio

cum animi malè sani ac dementati sit, aliud nihil probat, qvàm ipsas in concubitu aliqvid passas esse. At qvomodo, an reverâ, an somnio & phantasiâ, fides nulla subesse potest. *Vt in simili* c. 4. t. 3. *responsum.* ℞. Sagarum confessio, ubi *de re* omnem naturæ vim superantis, *naturæ rerũ contrariæ, & DEI potestati præjudicantis rei est, locum habere non potest, sed ponderanda, non numeranda est, ut* c. l. *responsum est: Vbi autem de re* potestati naturæ aut artis subjectâ est, *locum habere potest, Et ita præsente in negotio est. Congressum in assumpto corpore ad hominis figuram composito Dæmonem exercere, non res vim totius naturæ aut potentiæ finitæ transcendens, sed intra eam adhuc conclusa est,* t. 2. 3. *Vt proindè nec totaliter Sathanæ negari, nec omnis fides lamijs id confitentibus derogari debeat, sed* qvandoq; verum subesse possit, *etsi qvandoq; commentitia intercurrant. Qvòd si hæc confeßio tota, & semper nugatoria est, qvomodo in judicio Sagæ interdùm ob talem congressum confessum ad mortem adjudicatæ sunt,* t. 3.? *Sed minimùm interdùm veram esse oportebit.*

6. Posterius, congressum hunc qvandoq; imaginarium esse *patet*, 1. Qvia tota exportatio *aliqvando illusoria est,* c. 4 t. 15. E. *& ea, qvæ eam seqvuntur, ut commessationes, saltationes, congressus, talia erunt.* 2. Qvia Sathanas Spiritus mendax est, *& freqventer veris mendacia adspergit, hominesq; ludificatur,* c. l t. 16. *Credibile, & qvandoq; concubitum istum mera somnia ac ludibria phantasiæ in capite Magorum à Sathanâ excitata esse.* 3. Qvia exempla interdùm id docent, meras illusiones fuisse. *Sic* qvædam *proba mulier confeßa est, sæpè in somnis per campos eqvitare, hominem secum coire, seq; magnam in actu concupiscentiam sentire sibi videri, qvæ omnia mera phantasmata fuerunt.* Aliæ in

in *Africâ putantes se cum Dæmone coire, cum maleficis ipsis rem habuerunt*, Gœdelman. l. 2. c. 5. Wierus l. 3. c. 27. *Qvomodo* Paulina cum *Anubide Idolo per tenebras se congredi putabat, cum* Decio Mundo *insidias has per Sacerdotes Anubidis struenti commisceretur.* Josephus l. 18. Antiq. c. 4. Sic Rustico *cuidam idolum oblatum mulieris cum Dæmone atri canis specie ruri congredientis, cum mulier isto tempore domi in lectô decumberet*, Wierus l. 3. c. 33. *Ita sæpè puellæ â matrib. Sathanæ devotæ repertæ sunt, qvibus cum Sathanas congressus dicitur, sed qvarum hymen non perruptus in coitu, eòq; Virginitas illæsa mansit, & conseqventer coitum non realem fuisse oportuit*, V. Wierum c. 20. c. l. Sic cujusdam mulieris *in Flandriâ uterum Spiritu expandit, qvasi imprægnata esset. Postea onere levatum se sensit, sed partus nullus aparuit. Postridiè ê somno excitata infantem in lecto fasciis involutum invenit. Non multò post è latere dormientis idem abreptus, nec ampliùs inventus fuit.* Wierus c. l. c. 34. *Hic* mera Dæmonis ludibria fuerunt *in partu procurando, fœtus simulacro conformando, aut aliundè arrepto substituendo, eo iterùm surripiendo, vanitate mulieris confirmandâ, pellice aliqvâ suspectâ reddendâ, & in discrimen vitæ de maleficij crimine conijciendâ.*

7. 2. An ex congressu Dæmonis partus seqvi & prodire, adeoq; Dæmon generare qveat? *Hoc negant ijdem, qvi congressum realem negant, ut* Gœdelman. Wierus, Scaliger, Biermannus, Molitor, alijq;, t 1. *Et præter illos* Jacobus Rex l. 3. Dæm. cap. 3. *Etsi concubitum realem concedat.* Affirmant Delrius, Danæus, Erastus, Sprengerus, Alstedius, *& alij ibidem.* Pererius l. 8. in Gen. d. 3. *dubitat. Res ex antedictis aliqvam explicationem habere potest, qvæ tamen*

ut distinctiùs & pleniùs elucescat, distinctionibus qvibusdam adhibitis pleniùs & solidiùs determinandæ erit. Distinguenda & generationis vox, & Dæmonis natura ac habitudo erit. Generatio, *si Physicam corporis naturalis ex convenienti suæ speciei semine ex alimenti superfluitate deciso ac in corpore producto, in congruam matricem projectione productionem notet, & generare primario suo significato, qvod in Physicis habere solet, sumatur, Diabolus aliqvid generare non potest.* Si qvalemcunq; *ex qvalicunq; semine in matrice mulieris efformationem, potest. Dæmonis habitudo in corpore assumpto* vel *est incubi & specie Viri ad mulierem,* vel *succubi & Dæmonis in figurâ mulieris ad virum. Priore modo Dæm. generare posse probabilius est, Posteriore difficilius assertu videtur. De qvibus distinctè seqventes assertiones ponendæ erunt.*

8. I. Generatio Dæmonis ex congressu cum homine non naturalis, animalis, & Physica, sed præternaturalis, extraanimalis, & ultra Physica est generatio. *Ratio est, qvia* nec *in Dæmone ullum verum corpus naturale & Physicum est, sive aërium s. aliud, ut contra* Platonicos *& similes in* Michaëlibus t. II. 12. *ostensum: Sed præternaturale tantùm & assumptitium, qvod non ab interno essentiali vitali principio, ut anima aliqvâ tanqvam specifica & essentiali corporis sui formâ, animatur, sed ad tempus assumitur, ab extraneo & extraessentiali sibi vegetatur & movetur, donec tragœdia, cui serviendæ â Dæmone aptatum est, repræsentata sit:* nec *verum animal Dæmon est ab internâ animâ informatum & constitutum, sed speciem ejus & corpus tantùm assumit,* nec *organa Physica ad Physicam operationem, ut nutritionem, naturalem comestionem, resolutionem, assimilationem, concoctionem, excrementorum, ut seminis, formationem & egestionem, generationem,*

tionem, augmentationem, &c. destinata & idonea sunt, Nec *calor naturalis ad Physicas functiones reqvisitus, earumq́ administer*, nec *vera species humana aut bestialis generationi idonea, sed idolum & similitudo tantum ejus*, nec *generandi necessitas, cum individua Dæmonum non intereant, ut generatione restitui debeant, ut animalium*, nec *ulla individui vel speciei inter Diabolos multiplicatio locum habet*, nec *ex coitu voluptas, qvæ communiter in animalium genere Venerem conseqvitur, Nec nisi in animantib. locum habere potest*: Nec *ullum verum semen, sive tenue, sive crassum, ex qvo Physica generatio exsurgere possit, Dæmon habet, ut* Marcus Ephesius, Josephus, & *fortassis* Athenagoras ap. Delrium c. l. *voluerunt, Qvia illud corporis vivi residuum cibi optimè concocti est: Cibus autem & concoctio in Dæmonibus non est, cum nec animam vivam habeant, cujus functio cibum recipere & naturali calore concoquere est, nec cibo ad sui sustentationem indigeant. E. nec naturalis in illis generatio ex substantiâ propriâ vitali ac animali, qvæ ab intrinseco principio vitalis sit, locum habere potest.*

9. II. Potest tamen Dæmon incubus in assumpto corpore præternaturaliter & verè ex muliere, cui incumbit, aliqvid progignere. 1. Qvia *potest reqvisita generantis Viri adumbrare, corpus formare, vegetare, activa passivis applicare, per modum seminis aliqvid à Viro acceptum in matricem mulieris transfundere, ut* t. 2. *visum, Qvod à muliere gestante ulteriùs elaborari potest, ut inde fœtus aliqvis exsurgat, sed qvi fœtus non tamen omni modo naturalis, sed præternaturalis futurus est, qvalis & generatio est*, t. 8. *Nec propriè Dæmonis erit, sed Viri, unde semen arreptum est, & mulieris, qvæ illud suscepit ac elaboravit, ut communiter* Scholastici *sentiunt*. V. t. 22. *Ergò & aliqvo modo generare poterit.*

 2. Qvia

2. Qvia *potest semen à Viro per pollutionem vel somniationem nocturnam ejectum, excipere, deferre, per miram agilitatem ac naturalium rerum peritiam; qvâ pollet, calorem ejus prolificum in partibus spirituosis & aëriis radicatum aliqvousq; conservare, ad tempus cohibere, & ne dissipetur, inhibere, eo tandem tempore, qvo mulierem ad concipiendum optimè videt dispositam, qvod eum, ut qvi per totum Orbem terrarum vagatur, rerumq; naturalium recessus & proprietates perspicacissimè cognitos habet, commoda applicandi tempora, solertiam & artificium universum novit, ac diuturnâ observatione penè omnia assecutus est, latere non potest, convenienter mulieris matrici infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere, ac mulieris semini commiscere, ut inde partus conseqvatur.* V. Vallesium c. l. *Sic naturaliter puellæ cuidam jam pubescenti contigisse dicitur à* Thomâ qvodlib. 6. *Et à* Delrio c. l. *repetitur, qvam ob pudoris meliorem custodiam in lecto secum noctu cubantem pater habuit, ut cum hic in somno pollueretur, semen ejus ad matricem filiæ devolutum, indeq; ea conceperit. Mitto, qvæ* Chymici *de conveniente seminis receptione, & in cucurbitam positione, ac in ventre eqvino asservatione*, V. Hildebrand. l. 1. Mag. Nat. c. 40. *Et de mulieribus in balneis, ubi Virorum semina fusa, impragnatis* Averroes, *de aliis* alij *proponunt, qvæ incredibilia videntur. Si hæc naturaliter eveniunt, qvidni præternaturaliter Dæmoni, miro & agilimo artifici atq; arcanorum naturæ peritissimo, similia in concumbendo præstare possibile sit?*

10. 3. Qvia *dantur exempla partuum ex tali congressu prognatorum, qvos Cambiones, German.* Wechselbälge/ Wechselkinder/ Kielkröpffe/ *vocant, qvos* vel *verè natos ex tali coitu putant, semen enim in humanam matricem jactum,*

ela-

elaboratum, & ad suam perfectionem progressu temporis deductum fuit, ut partus aliqvis inde succedere potuerit: Vel *aliunde abreptos & supposititios censent. Exempla* ap. Hildebrand. p. 105. seq. Goëtiæ *vide. Sic in Brabantiâ mulier ex Sathanâ peperit. Idem Constantiæ & alibi factum.* t. 3. *In Marrea regione puella nobilissima immane monstrum ex Sathanæ coitu protrusit.* Hect. Boethius l. 8. hist. Scot. Wierus *qvidem fabulam appellat*, c. 31. *Sed non statim fabula esse cogitur, qvicqvid nonnullis incredibile videtur, Cum rem Sathanæ potestati subjectam esse certum sit. Ac tales liberos adeò fortiter ubera sugere ajunt, ut 4. & plurium mulierum rumas exhauriant, macie tamen deformes perseverent, etsi ponderosissimi existant.* V. Hildebrand. c. l. *Sic mulier aliqva ex spectro specie Viri marini compressa est, unde puerum enixa est, qvi miles fuit, & postea etiam genuit, Ex qvo familia nobilis orta, qvæ se marinos cognominavit, ut ex* Fioravanto Idem Hildebrand. p. 114. Goëti. *narrat. Sæpè etiam Sathan Sagas interrogat, utrùm gravidæ ex ipso fieri velint.* V. Bodinum l. 2. c. 7. *Qvod facturum non credibile est, nisi genituram ita attemperare nosset, ut partum qvandoq; succedere posse constet.*
4. Qvia *multi præstantes* Philosophi & Theologi *fieri id posse attestantur, ut* Glossa Ord. in c. 6. Gen. Et in cap. 13. seq. Thomas in idem cap. *Vbi ex tali coitu procreatos aliter â naturâ comparatos esse docet, ac qvi communi naturæ lege generentur,* Augustin. l. 15. d. C. D. c. 23. & l. 3. d. Trin. c. 8. Bonaventura, Scotus, Carthusianus, Gabriel, Castro, Medina, Suaretz, apud Tannerum, T. 1. d. 5. q. 5. d. 5. n. 24. Et Delrium, q. 15. c. 1. Qui & Alensem, Abulensem, Richardum, Paludanum, Victoriam, Molinam, Spinæum, & ex JCtis Grillandum & Binsfeldium *addit.* Sprengerus

gerus p. 5. Mallei q. 3. Niderus in formicar. cap. 10. Spinæus de ſtrigibus c. 6. Molitor dial. d. Python. c. 6. in T. 2. mall. mal. Qvamvis c. 11. *totum in id dubium vocet & neget.* Stumpfius l. 3 de Sagis c. 2. Bodinus in Dæmon. alijsq; *qvi congreſſum Dæmonis realem habent*, t. 1. *Non ſolet autem planè falſum eſſe, qvod à multis eruditis viris communiter conſentitur.*

11. Dices 1. Diabolus *eſt expers vitæ & animæ. Ergò nec verè aliqvid generare poteſt.* ℞. Nempè verè, *hoc eſt, Vt vitaliter & animaliter generetur, hoc enim ſine animâ & animali vitæ principio non contingit, qvæ in Sathanâ locum non habent*, t. 8. *Sed veré, h. e. non ficlè, falsò, & apparenter tantùm, ſed realiter, etſi generatio ultra naturæ circum procedat, qvamvis media generandi naturalia intercurrant, Vt ſemen aliundè abreptum, in qvo vis illa vitalis eſt, unde fœtus oritur, non in Dæmone, Sicut vis calefaciendi non ineſt tubo vinum fundenti, ſed vino ex eo fuſo, nec vis illuminandi lucernæ, ſed ellychnio in eâ poſito, & per aërem illuminanti:* Nec verum & Phyſicum *ſtatim æqvipollent. Sic Chriſtus vera vitis*, Joh. 15. v. 1. *Non tamen Phyſica. Verè Maria Virgo peperit, non tamen Phyſicè. Verus Paſtor Chriſtus eſt, vera lux, verus panis de cœlo*, Joh. 1. v. 9. C. 6. v. 32. *Caro Chriſti verus cibus*, v. 55. *non tamen Phyſicus.* Verè *idem poſt reſurrectionem comedit, bibit, non phantaſticè & illuſoriè, non tamen Phyſicè & animaliter, nec ad vitam animalem ejusq; neceſſitatem, ſed glorioſam & ſpiritualem.* 2. Eſt author mortis, *Ergò vivum producere neqvit.* ℞. Mortis, *qvia introduxit eam in mundum, tàm corporalem, qvàm ſpiritualem: non qvaſi nihil niſi mortuum producere poſſet. Sic enim animalia ex putredine mediantib. naturalibus medijs, ſole, cœlo, calore, fotura,*

produ-

producere potest, ut c. 8. *patebit, qvæ utiq; viva sunt & vitam in se habent. Sic & hominem mediante semine humano producere potest, hoc enim principium vitæ in se habet.*

12. 3. Si Diabolus gignit, aut propria erit generatio, aut Tropica. Si propria, E. *Physica, & sic corpus ac animam Sathanam habere oportebit. Si Tropica, E. non vera ista erit generatio.* ℞. Est propria qvandoq; generatio, *sed proprietate Grammaticâ & Rhetoricâ, sine tropo, illusione, phantasmate, mediis generandi propriis, semine humano, qvanqvam aliundè arrepto, utero, calore muliebri, elaboratione, expedita, non autem Physica.* Nec à proprio ad Physicum *statim valet conseqventia. Sic DEUS propriè genuit filium suum, & sine tropo,* V. Natalit. t. 3. *Maria Christum, non tamen Physicè & naturaliter, sed hyperphysicè & supernaturaliter. Propriè & sine tropo Christus post mortem comedit & bibit, sicq; veritatem corporis & resurrectionis contestatus est, non tamen Physicè, sed per modum corporis gloriosi,* V. t. 11. *Propriè Corpus Christi in Cœnâ qvantum ad panem & mediante eo comeditur, non tamen Physicè & naturaliter, sed Sacramentaliter.* V. Tr. d. multipr. t. 101. 102. *Et* Tr. de esu Eucharistico *plurib. patebit. Propriè & sine tropo, nec illusoriè aut phantasticè, sed verissimè corpora nostra in novissimo die resurgent, non tamen Physicè, sed hyperphysicè, ut in Theologicis docetur.* 4. Si propria *Dæmonis incubi per Sagam est generatio. E. propriè Dæmon fœtus parens dicendus erit, Qvod horridum apud Christianos auditu est.* ℞. Si propria proprietate Physicâ & animatâ *ista generatio est, tùm ita Dæmon appellari potest. Generationes enim & corruptiones, prout famoso sensu in* Physicis *sumuntur, tantùm animatis & ex essentiali vitæ animatæ principio generantibus competunt,*

ut plantis, brutis, hominibus. Sed talis generatio Dæmonis non est, *sed præternaturalis & non animastica*, t. 8. Parens ita is dicitur, *qvi ex semine proprio generat, & ex cujus corpore semen deciditur, ac â qvo gignendi virtus semini imprimitur. Dæmon autem ex alieno. Itaq; ejus, unde surripuit semen, & mulieris elaborantis ac parientis propriè partus est, & illis denominatio parientis accuratiùs adscribenda erit*, V. t. 9. *Sic ligna urere non propriè is dicitur, qvi ignem adducit, sed ignis, cujus vi propriâ, calore, ligni materia ad urendum disponitur.* Si Patris vox generalissimè sumatur, *ut & Sol Pater ranæ, muris, & animalium ex putredine genitorum vocatur, sic & Dæmon Pater talis partus nominari poterit. Sed in istis æqvivoca & ex semine analogo ac æqvivoco profecta generatio est, & talis erit etiam Patris denominatio. In* Dæmonis *autem generatione semen humanum intercurrit.*

13. 5. Qvicunq; propriè gignit, ex substantiâ propriâ aliqvid producit. *Vt DEVS, plantæ, animalia, homines. Sed Diabolus ex substantiâ tantùm assumptâ ac aliena, & semine aliundè rapto gignit, non propriâ substantiâ. E. non propriè.* ℞. Qvicunq; propriè in regno naturæ rectè se habentis & procedentis *gignit, ex substantiâ propriâ gignit. Sed Dæmonis generatio ultra & præternaturalis est, non in naturâ rectè, sed distortè se habente, procedit*, t. 8. *Eoq; illud requisitum, ex substantiâ propriâ gignere, hic minùs urgendum.* Potest in *nonnullis cum generatione propriâ convenire, &* hactenus propria *dici, qvia non merè phantastica & illusoria est*, t. 11. In nonnullis *â generatione Physicâ deviare*, & hactenùs impropria *dici, qvia non Physica, Qvod autem veritati & realitati obstare non debet*, t. 11. 12. *Et proprietatem Rhetoricam servare potest*, t. 12. Proprium enim suos gradus

habere

habere poteſt, ut de uno magis univocè, *qvàm de alio, dicatur. Sic ſubſtantia & accidens propriè Ens. Magis tamen ſubſtantia, qvàm accidens. Infinitum & finitum, Increatum & creatum propriè Ens, ſed magis & per prius illud, per poſterius hoc, ut in Metaph. docetur. DEI in divinis generatio ſupra totum naturæ circum eſt, & de eâ ſpecialia nemo mortalium ſatis accuratè dicere poteſt, & Scriptura hic ſilet. Itaq; hoc inter ineffabilia & incomprehenſibilia humano intellectui referendum erit,* Prov. 30. v. 4. *Vt* in Methodo de Trinitate, t. 19. 23. 24. 28. 44. ſeq. *pluribus dicetur.*

14. 6. Fatentur Sagæ, ſemen â Sathanâ fuſum frigidum eſſe, *ingratum, nihilq; voluptatis ex tali coitu ſe ſentire, ſed multum horroris ac averſationis. E. nec inde generatio ſeqvi poterit, qvæ â calido ſemine eſt.* ℞. Nempè non ſemper *Dæmon generare intendit, qvi ſui gratiâ eo opus non habet, & ſi qvid velit, in gratiam Sagæ ſuccubæ id hic agat; eoq; & infrugifero ſemine ſuo perfundat.* Si tamen ſub Viri ſpecie deludere velit, nec ſe Dæmonem eſſe ſciri cupiat, aut generare etiam ex alieno ſemine intendat, certum eſt, *poſſe Eum ea, qvæ ad congreſſum reqviruntur, ita repræſentare, ut nonniſi vivus congreſſus eſſe videatur, eoq; & ſemen calidum infundi procurabit, ne qvidqvam aliud, qvàm Virum eum eſſe, cognoſcatur. Hic* & *prolificum ſemen qværet,* & *inventum ſervabit, tantaq; celeritate proferet, ut Vitalis ſpiritus non evaporet, ſed qvando ac qvale ad generandum reqviritur, infundatur: Et corpus aſſumptum temperabit, ne contactu timor, horror, aut aſpernatio inferatur. Sic* Bambergæ *ſpecie Viri & mulierum cum ignotis congreſſus eſt, eosq; ad Magica pellexit, & minis qvandoq; coëgit, qvi aliàs Sathanam eum eſſe ignorârunt. Omniaq; ea repræſentavit, qvæ in vero Viro aut*

muliere apparere solent. Et interdùm Sagas qværit, an imprægnari ex se velint, t. 10. *Vbi verum semen qværere poterit. Vbi autem cum suis agit, frigido & fictitio eum semine uti possibile est, unde nullam generationem seqvi conceditur. Sed jam non, qvid fiat, sed qvid fieri saltem posit, qværitur.* Voluptatis autem sensus aut titillatio ad congressum & generationem non essentialiter reqviritur, *ut si ea absit, illa propterea esse neqveat.* Qvædam in *somno imprægnantur, ut puella Bambergensis à doloso juvene per noctem ei superveniente apud* Niderum in formicar. c. 10. Et aliæ, *qvæ voluptatis nihil sentiunt, & se prægnantes esse tamen vident, ac postea generant.* Qvandoq; *autem in Sagis & voluptas illa est, si Dæmon eam ab illis percipi velit, ut varia Sagarum apud* Sprengerum, Binsfeldium, Ananiam, *exempla docent, inprimis* Sardicensis Sagæ & Virginis Hispanæ *nobilis ap.* Torqvemadam & Grillandum. V. Delrium c. l. q. 15. 7. Vis plastica seminis in partibus ejus tenuissimis & spirituosis consistit, *qvæ huc illuc transferri non possunt, qvin statim evanescant, omnemq́ imprægnationis vim amittant. Ergò nec ex tali translato semine qvidqvam generabitur.* ℞. Possunt partes istæ à Dæmone *naturalium gnarissimo ita recipi & servari, ut evaporare neqveant, & tàm celeriter transferri, ut exhalare non necesse sit,* t. 9. *Sic* Chymici *semina qvædam vasis competentib. excipere, indeq́ elaborando partus se producere posse promittunt,* c. l. *Sic ova ad fornaces conveniente calore digeri, fœtusq́ inde excludi facimus. Nec vis plastica ita evanida, ut non ad breviculum durare posit, ut in puellâ qvadam,* t. 9. *Qvanqvam diversum hic* Medici *interdum, Et cum illis* Johan. Lucidus l. 1. d. emend. tempor. cap. 4. aliiq; *teneant.*

15. 8. Si Diabolus verè generat, *etiam animam in homine formabit, quod soli Deo, nulli angelo bono in sacris adscribitur*, c. 4. t. 8. *Nec credibile, Deum in tali actu animam fœtui infusurum, & inchoato Sathanæ operi coronidem impositurum.* ℞. Antecedentis Consequentia negatur. *Non enim ex semine proprio & animaliter generat, Quod qui facit, peculiariter concurrente Deo simul animam communicat & propagat, quam in ipso hominis corpore Deus formare dicitur,* Zacch. 12. v. 1. *Sed alieno & præternaturaliter*, t. 8. *Et sic Spiritum propriè non format, sed Deus in semine isto, Et corpore, in quo generatur, Etsi modus formandi specialiter sit inexplicabilis.* Nec Deus *ab extra animam infundit: Sed ab intra in ipso homine mirabiliter Spiritum format.* Ut Dec. 2. Miscell. d. 3. t. 22. seq. Et d. 4. t. 9. *docui. Et hic ad seminis vim ac naturalem hominis in utero elaborationem concurrit, facitq́, quod naturæ ordo postulat, Ut nempè ex Viri prolifico semine muliebri aptè mixto & congruè in utero elaborato proles nascatur, non impium Sathanæ actum probat aut juvat, qui moraliter & accidentariè accedit. Sic & ad formationem fœtuum ex adulteriis, incestibus, fornicationibus, natorum concurrit, & naturam ejusq́ processum juvat: Non tamen impia facinora probat aut adjuvat.* 9. Si Dæmon generat, aut Dæmonem generabit: *At illi non propagantur, & penè omnes anguli Dæmonibus erunt repleti*: Aut hominem. *At simile ex simili generatur, non species diversa ex diversâ, Quomodo homo & Dæmon species diversæ sunt.* ℞. Hominem generabit, sed quadantenùs præternaturaliter constitutum. *Nec specierum discrimen obstat. Præternaturaliter enim species commisceri, & inde diversum quid ab utroq́ generari pot-*

est, ut hircocervus, Equicervus, Leopardus, Cynalopex. V.t.4. *Generatio autem hæc Dæmonis præternaturalis & non animalis est,* t. 8. *Quidam tales fœtus Diabolos incarnatos vocare malunt, ut* Lutherus ap. Goedelman. l. 1. c. 4. *Sed de liberis ex succubis Diabolicis prognatis loquitur, de quibus* t. 16. *videbitur. Jam de partu ex incubo nato sermo est.* 10. Non qui semen aliorsùm transfert *sed qui emittit, propriè generat. Quod Diabolus non facit.* ℞. Nempè proprietate Physicâ & animaliter, *quomodo Diabolus non generat, sed proprietate tantùm Rhetoricâ & non animaliter,* t. 8. 12. 13. 11. Proportio *nulla inter substantiam tantùm spiritualem, qualis Dæmon, & tantùm corporalem, qualis homo, est. E. nec generatio inter eas esse potest.* ℞. Antecedens falsum est. *Vtraq; subsistens quid, Ens reale, accidentium & facultatum capax est. Aliqua ergò proportio. Anima humana tantùm Spiritus, corpus tantùm materia: ad essentialem tamen unionem & informationem coëunt, tanta inter ea proportio. Et hic Diabolus non in se, sed assumpto corpore cum sagâ ad generandum, & sic corpus cum corpore concurrit, unde sufficiens inter ea proportio esse potest.* 12. Damascen. l. 2. d. fid. c. 3. ait, *Qui essentiam illam, quæcunq; tandem ea sit, ab angelis procreatam dicunt, eorum ore Diabolum loqui. E. nequit Dæmon procreare.* ℞. Nempè *qui ex se & proprio angelos eam formare dixit, ut Deus Spiritum hom. in h. format,* c. 4. t. 8. *uti* Galitæ, Messaliani, Simoniaci *& alij delirârunt,* V. Dec. 2 Mi. d. 3. t. 4. 10. *Dæmon autem generat ex alieno, semine humano.*

16. III. An Dæmon succubus & mulieris vice Viro succumbens, ex coitu Viri aliquid progignere possit, majoris difficultatis est constituere, *nec facile liquere potest.*

Hoc

Hoc enim negat Delrius c. l. *Negârunt* Ægyptii lap. eundem, *aliiq́.* *Ratio est, quia ut mulier generet, longè plura requiruntur, ac in viro semen emittente. Conceptio enim ab utraq́ parte, viro & muliere, semen conferente, postquam fuit, post eam omnia matris sunt. Hic enim semen retinere, digerere, elaborare, corpus Organicum formare, per tempora procedere, ut architectura corporis absolvatur, fœtum continuâ animæ vegetantis operatione alere, commotiones fœtus in utero sustinere, aliaq́ ad gestationem fœtus necessaria obire oportet, si generatio aliqua fœtus subsequi debeat: quæ an verè per tantum temporis tractum in Sathanam succubum cadere possint, dubium est. Itaq́ cum Poëta hic dixero:* Equidem nihil hic diffindere possum. *Et ad illud,* Non liquet, Amplio, *decurrendum videam. Vt in simili de Melusinis & Empusis viris cohabitantibus, & liberos ex illis tollentibus,* dec. 2. Misc. d. 1. t. 23. *dixi. Si vera forent, quæ de Melusinis, Empusis, similibusq́ mulieribus viris cohabitantibus, ut Nobili Bavaro,* c. 4. t. 22. *Barone Germanico* apud Camerar. c. 1. C. 70. *De quo* dec. 2. Misc. c. l. *mentio facta, Juvene quodam in Siciliâ sub Rogerio Rege apud* Wierum l. 2. c. 46. *Vel* in secunda editione l. 3. c. 32. Et Melandrum T. 3. Jocos. c. 119. *authores tradunt, & in hoc negotio facilior decisio esset, ac Dæmoni aliquid concedendum foret.* Quædam *enim istarum liberos tulerunt, ut Bavarica & Sicula.* Interim *cum istæ mulieres mera spectra & phantasmata fuisse credantur, & partus tales fuisse censendum sit,* & vel *liberos aliunde à Sathanâ abreptos, & eò suppositos,* Wächselbälge/ t. 10. Vel *mera spectra & phantasmata partusq́ ementitos, unde post temporis tractum plerumq́ evanescere solent:* Vel *Dæmones specie carnis ad tempus apparentes*

rentes & Diabolos, ut vocant, incarnatos eos fuisse, credibile sit, qui postea larvam deposuerint, & nusquiam reperti sint. Sic mendicus quidam *talem puerum per Galliciam & Asturias circumgestavit, quem postea Dæmonem esse fassus est, qui ab omnibus eleemosynas ipsi promiserit, quamdiu eum ita circumlaturus esset.* Delrius c. l. Paracelsus, *& qui eum sequuntur*, Nollius, Kornmannus, Hildebrandus, *tales mulieres medios inter angelos & homines faciunt, &* Geist-Menschen *vocant, unde nos generare queamus, ut* c. l. *docui. Sed nec* ille *ea probat*, & per *Dæmones talia effici posse certum est, ut* ibi *monitum.*

17. 3. An & Dæmon incubus efficere queat, ut virgo aliqua illœsâ virginitate partum edat? Si is sensus sit, *ut sine virili semine ejusq; susceptione concipiat, & in partu hymenem ac claustra virginalia non rumpat, impossibile id Dæmoni est. Generatio enim sine semine nunquam fiet, nisi novo miraculo fœtus in utero creetur, quod Dæmoni impossibile est: & partum claustris non reseratis edere, dimensionum penetrationem involuit, quæ soli potestati divinæ reservata est, ut* Tract. d. Eff. alic. s. 4. t. 88. 89. *monitum.* Si ille, ut virgini dormienti & ignaræ *semen fœcundum aliundè translatum sine carnali congressu & hymene ac virginitatis claustris per coitum aliquem non laceratis, per quem propriè virginitas amittitur, ut ex* Gen. 24. v. 16. Judic. 11. v. 38. 39. c. 21. v. 12. Luc. 1. v. 34. *constat, & in* Natalit. t. 12. *visum, sed incorruptis servatis infundat, fieri illud à Dæmone potest.* Hic enim nec *penetratione quantorum opus*, & *majora à Sathanâ præstari posse certum est*, nec *veram contradictionem in esse rei consequi opus est.*

18. 4. An Lutherus ex coitu Incubi cum matre ejus natus sit? *Hoc* impudentiores quidam Papistæ *tradere audent.* Fontainus in hist. sac. Gallicè scripta, de statu religionis, quem Delrius c. l. & Wierus l. 3. c. 25. *allegant, & Episcopus aliquis an.* 1565. *in celebri collegio pro publicâ concione historiam de eo tradidit, ut Lutheri doctrinam elevaret, quam* Wierus c. l. *Et ex eo* Hildebrandus p. 336. Goët. *adducunt.* Joh. Naso in Centur. Evang. Verit. Genebrardus in Chronic. l. 4. Gretserus in Luth. Academic. c. 26. Serarius in c. 6. Tobiæ, q. 4. Pistorius, aliiq; *eo se oblectant. Sed insigni calumniâ, & contra Historicam veritatem. Cum publicis historiarum actis constet, utroq; parente honesto Islebiæ in Comitatu Mansfeldensi, Anno 1483. die 10. Novembr. natum esse,* Patre Johanne Luthero, Matre Margaretâ Luders, *& in templo S. Petri postero die baptismo tinctum, & cum dies Martino sacra esset, ex diei festivitate Martini nomine insignitum. Quod & Papistici Historici narrant, ut* Surius in histor. Cochleus in Act. Luther. p. 1. *Et Evangelici,* ut Sleidanus l. 16. hist. Mathesius Conc. 1. de Luthero. *Nullus legitimus Historicus de Patre incubo quidquam habet. Deinde non* Witebergæ, *ut hac fabula somniat, sed* Islebiæ *apud Mansfeldenses natus est, ut passim constat. Et cum apud* Papistas *natus ac baptisatus sit,* in *disciplinis informatus,* gradus *Academicos, Magisterium & Doctoratum, adeptus,* Ordini *Monachatus initiatus,* ad Professiones *& officia publica Academica & Ecclesiastica admissus,* cur *vivo illo nemo de tali ortu quidquam protulit,* cur non *officiis indignus, ut monstrum Sathanicum, judicatus,* cur non *Magistratus testimonium de ortu ejus postulatum,* cur Leo & Cæsar *in condemnationibus & pro-*

scriptio-

scriptionibus ejus id non objecerunt, cur *nemo illius tùm temporis meminit? Sed similia hic de ortu* Lutheri *imprudentes quidam fabulantur, ac* de morte obituq; ejus *horrenda etiam ipso vivo commenti sunt*, Quomodo Romæ *charta quædam edita est, quòd Lutherus ante obitum corpus defunctum altari imponi & pro Deo adorari jusserit. Sed ubi sepultum illud, ingens Dæmonum tumultus exortus sit, hostia Ecclesiastica in aëre pendere visa sit, & postea ad sepulcrum ejus majores tumultus exauditi fuerint, ac aperto eo nihil cadaveris in eo repertum, sed ingens fœtor adstantes infecerit. Quæ omnia ipse* Lutherus T. 8. Jen. Germ. p. 270. Anno 1545. 21. Martii *confutavit.* 5. An & præposterâ Venere cum Sagis Sathan utatur? *Negant* Antoninus, Pontzinibius, Compend. Theolog. Benedictus ap. Delrium c. l. *Quòd confessionibus Sagarum Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, id non sit compertum. Affirmat* Ananias l. 4. d. nat. Dæmonum & Delrius c. l. *quòd de Italiæ lamiis id notissimum sit. Et probabile est, omnis spurcitiei authorem ac promotorem & hoc genus spurcitiei non abominaturum aut omissurum, sed exerciturum, & istam hominum fecem, Magos & Sagas, nullum sorditiei genus aversaturam. Eoq; & tali cum amasiis suis sese volutaturas.* Quò gravius enim peccatum, eò Sathanæ jucundius. *Hic autem duplicatum est, & contra genus, cum Sathanâ congredi, & contra vas, præposterè id facere.*

CAPUT VI.

De Magorum Metamorphosi & transmutatione in lupos, feles, aliaq; bruta aut alia.

Sic

Sic & de congressu Sagarum cum Sathanâ, *& partu inde prognato actum.* Tertium, *quod illis attribuitur*, decantata illa metamorphosis & transmutatio sui in lupum, felem, hircum, serpentem, avem, aut aliud brutum est. *De illâ quæritur*, 1. Ecquid rei & veritatis ei subsit? *Classica antiquorum & recentiorum quorundam est sententia, posse se & alios Sagas ita immutare. Ex veteribus* Propertius *de Sagâ, Audax cantatæ leges imponere Lunæ, & sua nocturno fallere terga lupo.* Ovidius *de Dipsæ anus Magicis: Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras suspicor, & plumâ corpus anile tegi:* Et l. 7. Metam. *Inq́; virum soliti vultus mutare ferinos Ambigui profecta lupi.* Idem l. 1. *Lycaonem Arcadiæ Regem in lupum transformatum narrat.* L. 14. *Vlyssis socios in sues mutatos narrat, Picum Regem in avem mutatum tradit, pennas in corpore vidit. Famulos ejus etiam immutatos narrat. Cujus ab attactu variarum monstra ferarum in Juvenes veniunt, nulli sua mansit imago.* Virgilius eclog. 8. *de Magicis herbis agens*, His ego sæpè lupum fieri & se condere sylvis *Mœrim vidi*, Et 7 Æneid. *de Vlyssis sociis: Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis induerat Circe in vultus & terga ferarum.* Juvenalis sat. 15. tenui percussum verbere Circes Et cum remigibus *grunnisse Elpenora porcis. De Circe incantationibus & pharmacis homines in porcos aliasvé bestias mutante* Plutarchus in Gryllo & Homerus 10. Odyss *videantur.* Horatius epodo ad Canidiam: Setosa duris exuére pellibus Laboriosi remiges Ulyssei volente Circe membra: tunc mens & sonus relapsus, atquè notus in vultus humor. Herodotus lib. 4. & Mela de situ Orb. l. 2. c. 1. *Nervis Scythiæ Europeæ populis statum tempus*

pus esse tradunt, quo si velint, in lupos, iterumq́ in eos, qui fuerunt, mutentur. Ex Arcadibus *quidam stagnum tranantes in lupos, post eodem stagno renatantes in homines conversi sunt.* Plin. l. 8.

2. Simon Magus *in varias animantes se & alios transformabat.* Nicephorus l. 2. hist. Eccl. cap. 27. & 36. Pythagoras *metempsychosin docens se antea fœminam, quadrupedem, & alitem fuisse dicebat, quàm Pythagoras factus esset.* Cigogna l. 4. c. 5. Bajanus Bulgariæ Rex, *quoties voluit, se in lupum aut aliam bestiam mutavit.* Trithemius in Chron. Hirsaugiens. & Luitprandus l. 3. histor. Agrippa *ex Varrone narrat, Demanetum aliquem Parrhasium devoratis infantis Jovi Lyceo immolati intestinis in lupum conversum esse.* Cauponam *Sagarum reginam* Apulejus lib. 1 d. asin. *amatorem suum in ferum castorem, Cauponem vicinum in ranam, & forensem aliquem in arietem commutasse scribit.* Et l. 2. *Pamphilen Magam homines in saxa & pecora, & quodvis animal puncto reformare narrat.* Olaus M. *de Lappis, Finnis, Biarmis* l. 1. c. 1. & l. 3. c. 18. *tradit, quòd quamcunq́ velint, figuram assumant.* Similia l. 18. c. 45. 46. 47. Et Crantzius, Saxo Grammaticus, Garzonius, Zieglerus, aliiq; *memorant.* V. Boisardum de Magiâ, c. 6. Thyræum l. 2. de spir. appar. c. 15. *Eadem apud* Peucerum de divin. p. 130. seq Zvingerum Vol. 5. l. 4. p mihi 1524 Strabonem, Solinum, Dionysium Afrum, Gvil. Tyrium, Vincentium Beluacensem, aliosq; *reperias.* V. Thyræum c. l. Augustinus *aliquid fidei istis transmutationibus tribuere videtur*, l. 18. de Civit. Dei, c. 17. 18. Ex Recentioribus *Lycanthroporum exempla plurima occurrunt, de quibus* t. 9.

De transmutatione Magicâ in bruta & alia.

THESIS II.

H*Odiè & ante hæc tempora de Lycanthropis ingens & constans fama est, qui circa Natalitia Christi flumen tranantes in Lupos mutantur, & post 12. dies idem renatantes humanam figuram recipiant.* Germani Weer-Wölffe *vel* WeerWölffe/ *&* MenschenWölffe/ *Latini Lupos Varios, Versipelles, Galli Lovos Garous, Piccardi Loups Warous, qvi â Latino Varius, unde Germanorum* War-Wölffe/ *Græci* λυκανθρώπους *&* μορμολύκους *appellant. Ac pro verâ hanc Magicam transmutationem* Bodinus Cap. 4. Meth. histor. & l. 2. dæmon. c. 6. *Et qvi Bodinum plerumq́; seqvitur,* Stumpfhius l. 2. d. Zauberey c. 13. *Etsi postea à doctis hæc pro ludibrijs haberi addat,* Spondanus l. 10. Odyss. Homeri ap. Delrium q. 18. Et Cigognam c. l. Boisardus c. l. *Vbi memorabiles historias percenset,* Peucerus *etiam aliqvid fidei his tribuit*, c. l. Quamvis p. 133. *melioribus assentiatur;* Tholosanus l. 84. c. 20. Joach. Camerarius in comm. Plutarchi d. Orat. def. f. 332. apud Gœdelman. l. 2. c. 3. n. 19. Lichtenberger ap. Hildebrand. p. 77. Goëti. Wolfeshusius in Orat. de Lycanthrop. *Vbi &* Paracelsum, Pomponatium, Peucerum, Fernelium, allegat, ap. Voetium p. 1. disp. 48. t. 12. alijq́; *etiam pro veris illa habent.*

3. Oppositum *tamen* à Philosophis & Theologis *magno numero hic assumitur, & hanc transmutationem* vel *Poëticè fictam*, vel *Sathanicè illusoriam ac præstigiatoriam*

totam esse sentitur. Ita Chrysostomus, Thomas, Bonaventura, Victoria, Castro, Spinæus, Angles, Turrecremata, Molitor, Daneus, Grillandus, ap. Binsfeldium d. conf. Malefic. concl. 3. Augustinus c.l. *Vbi tandem ad præstigias & sensuum delusiones rem totam rejicit,* Delrius c. l. Remigius l. 2. Dæmonol c. 5. Ananias l. 4. d. nat. dæm. Thyreus l. 2. d. Spirit. ap. c. 19. 20. 21. seq. Claud. Prior l. d. Lycanthrop. Beyerling. T. 4. Polyanth. Voc. Lupus, Wierus l. 4. c. 22. 23. & l. d. lamijs c. 14. Tholosanus l. 34. Synt. c. 16. Bierman. d. Mag. act. t. 34. seq. Cigogna c. l. Pererius l. 1. d. Magia c. 7. Gœdelman. l. 2. c. 3. Scultetus de Sagis c. 8. Lercheimer de Zaub. c. 1. & 12. Plinius l. 8. N. h. e. 22. Tannerus T. 1. Th. Sch. d. 5. q. 5. d. 4. Jus Canonicum Causa 26. q. 5. c. 14. Voetius c. l. Timpler. 5. Meta. c. 4. q. 28. Gerhardus T. 8. d. mort. t. 158. *Vbi &* Horstium, Heerbrandum, Libavium, *citat,* Sabinus in 7. Metam. Sennertus l. 2. Med. p. 3. s. 1. C. 7. *Et* L. 1. Pra. Med. p. 2. Cap. 16. Samsonius conc. 3. de Sagis. *Ficta illa transmutatio apud* Ovidium, Parthenium, Lucianum, Apulejum, *Præstigiatoria apud Magos est. Qvod patet* 1. Si talis transmutatio *hominum in lupos, feles, canes, asinos, Dæmoni possibilis est, aut ratione materiæ humanæ, aut formæ, aut totius compositi ex formâ & materiâ unitis constituti, aut ratione efficientis possibilis erit.* Plura *enim hic dari non possunt, qvæ assignari queant.* Si materiæ, *aut remotæ, aut propinquæ ratione erit.* Non remotæ, *ut primæ, ex hac enim nihil determinati exsurgit, ut lupus, eqvus, felis; Sed generalissimum ad omnes formas in universum ea est subjectum, unde omnes velut è gremio educi, & ad quam velut ad matricem vicissim reduci possunt,*

ut

ut in Physicis *docetur, Et* dec. 2. Misc. d. 2. t. 15. *tactum. Hic autem de mutatione determinati in determinatum, hominis in lupum, felem, quæritur. Et quod fit, generatur, producitur, hoc aut illud, eoq; determinatum est.* Nec propinquæ, *hæc enim ad certam formam, & â certâ formâ est determinata, ut quamdiu sub eâ manet, sub alterâ esse non possit. Sic homo,, quamdiu homo, ad corpus humanum determinatus est, ut alterius diversæ materiæ, e. g. lupinæ, felinæ, lapideæ, aureæ, capax non sit. Quod enim certâ specie in rebus perfectis est determinatum, diversam speciem recipere non potest. Sic non ex homine fit leo, equus, Equo Ursus, ansere pavo, aut vicißim.* Aliud de imperfectis speciebus est, *ut insectis, animalibus putredine genitis, frugibus quibusdam, in quib. speciei in speciem mutationem quandoq; incurrere Physiologi testantur,* V. t. 14. *Quæ ad nostram materiam aliena sunt. Quòd si anima humana in lupino corpore esse potest,* aut *pro formâ ibi erit, sic operationes rationales in isto corpore erunt, & lupus rationalis erit, formâ enim in corpore positâ formatũ ponitur:* Aut *pro otioso quodam. At formæ operosæ esse solent, non otiosæ. Minimè omnium rationalis forma, immaterialis aut intellectualis Spiritus, qui semper in opere aliquo esse cupit. Nec organorum indispositio prætexi potest. Nam si ea operationes ejus impedit, magis forma ipsius habitudinem respuit.* V. t. 4.

4. Si formæ, *E. forma specifica & ad unum determinata quodvis subjectum & materiam informare poterit, ac de materiâ in materiam transibit. Ut anima humana corpus leoninum, Caninum, Ursinum, quod absurdum. Ut enim accidentia non migrant de subjecto in subjectum: Sic nec animæ de corpore in corpus. Qualibet enim forma substantialis ut*

esse specificum informando tribuat, peculiares sibi suisq́ operationibus proportionatas dispositiones & organisationem corporis propriam *requirit, sine quâ informare non potest. Ideò anima actus substantialis corporis vivi organici definitur, h. e. quod aptum esse debet ad recipiendum talem formam. Sed talis organisatio in corpore lupino felino, ursino, non est. E. nec anima humana tale corpus informare poterit, perinde ac nec forma ursina aut lupina corpus humanum, aut leonina equinum, aut forma cœli corpus aranei, muscæ, quia dispositio materiæ ad formam deest. Et sic nec ex homine verus lupus, catus, fieri potest. Sic sigillum ceræ non aliam figuram imprimet, quàm suam, & si leonis in eo fuerit, in cerâ non aquilæ aut hominis esse poterit, nec cera aliam, quàm sigilli figuram impressam repræsentare potest.* Deinde nulla forma substantialis *substantialiter sine suo interitu immutari potest. Et ubi interijt, ad reductionem ejusdem in eodem numero per vim naturæ regressus nullus datur, ut inductione patet. Et sic etiam hic, si anima humana immutaretur, cum interitu sui id fieret, & sic eadem numero ad corpus suum vi Sathanæ reverti non posset, quod de Lycanthropis affirmari solet. Non enim is resurrectionem hominum moliri potest.* c. 9. t. 38. Deinde *si anima corpus proprium relinquit, & in ferinum migrat, alicubi illud relinquere oportet. Omnis enim spiritus creatus ubi aliquod requirit, ubi sit & operetur, ut* s. 3. d. Ess. alicubi *constitutum. Sed ubi istud erit, & quis illud observavit? Ac astu quodam ex oculis hominum semper subduci quis credet? Et ubi corpus relinqvit anima, cum dolore, molestiâ, & difficultate id fit, ac homo interit. At hoc etiam in hoc casu non est, cum ad transmutationes istas Magi cum voluptate festinent, nec se mori dicant.* Et

ub

ubi in aliud corpus *transit anima, proprium illud sibi faciet. Informat enim, possidet, & per illud agit.* Si hoc, *jam duo corpora propria una anima habebit, illud, quod assumpsit, & istud, quod prius deposuit. At una anima nonnisi unū corpus, & corp: unū unam an. uno tempore simùl habere potest. Si enim duplex anima, & lupi & hominis, in uno corpore, lupus & homo simùl dici poterit. At disparata hæc sunt, quæ de se affirmari posse* Philosophi *negare solent.* Nec totius *compositi, quia hoc jam ex materiâ & formâ specificâ specificum factum est, eoq; alterius specifici per istam determinationem specialis materia ad certam formam, capax non est. Nec enim perfecta animalium species invicem transmutantur. Et si nullam partem hominis Dæmon verè in aliam speciem immutare potest, ut visum, minùs totum hominem animâ & corpore constantem immutare poterit. Animam autem hic non immutari Patroni transformationis pleriq; concedunt, & res ipsa ac operationes talium brutorum interdùm docent.* V. t. 12. *Multisq; probat* Thyreus c. l. c. 18. Nec efficientis, *in cujus viribus totam rem* Bodinus *collocatam vult.* 1. Quia *omne efficiens intra sphæram suæ activitatis cohibetur, ultra quam transcendere non potest. Sic homo nequit rugire, latrare, canis nequit ratiocinari, argumentari, ruta nequit volare, progredi, &c. Sed substantiales perfectarum rerum formas essentialiter mutare, nisi ubi Naturæ vis aliquid molitur, eamq; Sathanas in auxilium assumit, ut cupram, plumbum in aurum vertere, sphæram activitatis Sathanicæ transcendit, Infinitam enim nulliq; subjectam potestatem id requirit, quam Spiritui creato DEUS non contulit. Perinde enim est tales formas immutare, ac de novo eas creare. Quod solius DEI esse alibi in* Theol. & Pnevmaticis *plurib. docetur.*

5. 2. Qvia vel *naturaliter homines immutare posset, at sic corruptio hominis, & generatio lupi, felis, requiritur. Diabolus autem generare aliquid de novo ex propriâ substantiâ non potest,* C.5. t. 8. Vel *supernaturaliter. At sic annihilatio prioris, & creatio posterioris reqviritur. Sic uxor Lothi annihilata, & statua salis ejus loco creata fuit. Neutrum verò Dæmoni competit, ut in* Theologicis *ostenditur.* 3. Quia *quicquid fit, ab actu aliquo analogiam aliquam ad effectum habente fit,* vel *tota specie, ut in univocis, ut cum ignis ignem, homo hominem producit,* vel *qvâdam parte, ut in æqvivocis. Vt cum Sutor calceum per artem sutoriam efficit. Quæ nihil analogiæ habent, ad agendùm in se proportionem non habent. Sic Musicus per Musicam non ædificabit, Medicus per Medicinam non canet, &c. Sed inter mutationem hominis in lupum aut lupi in hominem & Dæmonem id efficientem nulla analogia est. Nam* nec *Dæmon, homo, & lupus specie conveniunt, sed potius genere toto distant, ut corruptibile & incorruptibile, spirituale & corporale, mortale & immortale :* Et *pars analogiæ inter lupum & hominem corpus* Organicum *sive potentiâ vitam habens erit. At hæc pars dæmoni, ut formæ abstractæ & immateriali nullâ veritate tribui potest, fieret enim mortale aliquid. E. nec inter efficientem & effectum in hominis in lupum transmutatione ulla analogia erit. Et sic ista transformatio Dæmoni planè impossibilis erit.*

6. 2. Si Dæmon *homines in bruta transformare potest, aut istâ mutatione anima hominis manebit, aut interibit.* Si manet, *aut in proprio corpore manet, aut in aliud migrat.* Si prius, *in lupino corpore manebit, humanum enim corpus in lupinum versum esse ajunt. At tale corpus non est organi-*

organisatum, ut ab animâ humanâ informari possit, nec quavis forma quamvis materiam informat, sed dispositam, t. 3. 4. Si posterius, *migrationes Pythagoricas animarum reductas habebimus, quod vanum. Nec formæ ad unum determinatæ in aliud migrare possunt, suis enim materijs & corporibus addictæ sunt, â quibus aut separantur, ut humana immaterialis, aut in suam materiam & potestatem, unde eductæ sunt, resolvuntur, ut de materialibus communiter sentitur. Si interit, anima, immortalis Spiritus,* Eccles. 12. vers. 7. Matt. 10. v. 28. Act 7. v. 59. *interire poterit.* Et quomodo *redire postea ad corpus humanum poterit, si interijt? Quod de Lycanthropis istis asseritur. An Dæmon animas extinctas verè in vitam revocare, suis corporib. redunire, adeoq; verè mortuos iterùm resuscitare poterit? Quod hactenùs solius divinæ potestatis argumentum esse credidimus.* V. C. 4. t. 8. c. 9. t. 18. 3. Quia reliquiæ & rudera imaginis divinæ *in animâ residentia, quæ post lapsum homo adhuc reliqua retinuit, ut* Tract. d. Notit. natural. c. 2. t. 11. *docui, talem permutationem non admittunt. Hæc enim veritatem & claritatem in intellectu ad videnda principia naturæ theoretica & practica, conformationem in voluntate ad honestum civile sequendum, turpe fugiendum requirunt, & dominium aliquod in bruta homini ex primævâ institutione* Gen. 1. v. 28. *Ejusq; post diluvium repetitione,* C. 9. v. 2. Jacob. 3. v. 9. Sirac. 18. v. 3. *residium relinqvunt.* At quomodo intellectus veritas & voluntatis conformitas in lupino corpore, *ac eo, qui ad beluinum stuporem dejectus est, locum habebunt?* Et quomodo *dominium in bruta ei conveniet, qui ipse in brutum, lupum, felem, verè immutatus sit? Hæc quia absurda sunt, & hominum in lupos commutatio talis erit.*

4. Quia

4. Quia per artificium *tales mutationes oculis spectantium induci possunt, ut cum quis homo verè maneat, intuentibus tamen modò arbor, modò lupus, ursus, cygnus, modo hoc, modo alio vestitu, aliudvè esse appareat, ut de* Cornel. Drebbelio *in Angliâ, insigni Mechanico & Optico constat, & ipse de se testatur in* Epist. ad Isebrand â Ritwiec, *verbaq; ejus allegat* Hegenitius in Itinerar. Hollandiæ, p. 73. *Vbi mox holoserico nigro, mox viridi & rubro, mox panno aut villis texto omnium colorum, mox argenteo aureoq; colore amictum in conspectu multorum quàm celerrimè se exhibere ait.* Præterea *in formam arboris â vento agitatæ, ursi, leonis, equi, ovis, & cujusvis animalis se apparare, specie regis, Principis, Alexandri M. se videri, Terram aperiri, indeq; spiritus & gigantes exire, quasi naturaliter vivant, se facere, novaq; inventione Opticæ beneficio hæc exhibere se ait.* Per Opticam *quàm variæ miræq; apparentiæ hominib. offerri queant, ex Mechanicis notum est. Si ex serpente & cerâ coctis cereum facias, eumq; noctu in conclavi accendas, omnia serpentib. plena apparent.* Pedemont. d. secret. Hildebrand. l. 1. Mag. Nat. C. 24. Vffenbach. in Alchym. l. 13. c. 168. *Sic & ut præsentes sine capite aut cum brutorum capitibus videantur, modos citatus author exponit. Si vis humana per artem tàm varias mirasq; apparentias brutorum conciliare potest, substantiâ humanâ invariatâ: Quî non vis superior, Sathanica, easdem in lycantropis alijsq; brutis præsentare queat, substantiâ humanâ manente?*

7. 5. Quia multis solidis experientijs *tota ista lycanthropia, & hominum in lupos, feles, commutatio, vana & mendax reperta est, & vel immutati homines eo tempore, quo se immutatos dixerunt, non fuerunt, vel alto sopore stertentes*

tentes deprehensi sunt, ut Magæ interdùm, cum se exportatas fuisse dixerunt, C.4. t.15. Sic quidam Lycanthropus Prussiæ *duci adductus, qui quotannis bis se in lupum verti dixit, circa Natalitia & Johannis festum, diu in carcere detentus diligenterq́ observatus eandem formam retinuit, nunquam lupinam induit, ut ex* Sabino Camerarius C. 1. Med. c. 72. Gœdelman. de Sag. l. 2. C. 3. *narrant. Sic alius lupi specie grassari dictus alicubi, absens & soporatus fuit, & Dæmon interim lupi corpore formato, assumpto, & circumdato ea gessit, quæ homines â dormiente patrata esse putârunt, quod strategema cunctis â Sancto aliquo manifestatum* Guil. Parisiensis ap. Delrium q. 18. *tradit.* Præstantij Pater, *qui in jumentum se mutatum onera portasse putavit, somno detentus in lecto jacuit, ut excitari non potuerit. Interea somnia â Sathana de jumento & onerum portatione in eo excitata sunt, quæ tanquam facta postea narravit.* Augustin. l. 18. d. Civit. Dei C. 18. In Episcopatu Argentinensi *tres Dæmones felium specie ab agricolâ vulneratæ sunt. Eodem momento tres mulieres domi in lectis suis decumbentes vulnerib. laceratæ sunt, quibus dæmon ea intulit, ut illæ in Catos transmutatæ viderentur.* Sprengerus p. 2. Mall. q. 1. C. 9. *Sic quædam Iuvencula ad* Macarium *ducta est, quam maleficio in equam versam esse dixerunt. Sed sensus puellæ & videntium perstricti fuerunt, ut pro eqvâ agnoscerent, quæ reverâ puella fuit.* Macario *enim quia Sathanas oculos perstringere non potuit, puella, & non equa visa fuit, cujus oratione etiam ab istâ elusione liberata est.* Idem p. 1. q. 10. *Sic* Patavij *agricola aliqvis se lupum esse dicens captus, ubi brachia ejus gladio resecta sunt, cognitum est, hominem esse, & Chirurgis ad curandum traditus paucos post dies expiravit,* Gœdelm. c. 1.

n. 25. *Qui idem* à Nobilibus in Livoniâ, Rigæ, Regiomonti, & Varſaviæ, cum diligenter de iſtâ Metamorphoſi inqvireret, ſe accepiſſe ait, totam illuſoriam ac præſtigioſam eſſe. In Livoniâ quidam Lycaon *apud præfectum ſuum cœnatus & inebriatus arcto ſomno repentè decidens oppreſſus eſt. Poſtridie eqvus in agro diſſectus reperitur, & huic adſcribitur, qvi factum fatetur, & veneficam ſub papilionis ſpecie ſub equo ſedentem ſe perſecutum dicit. Sed nugamenta poſt deprehenſa fuerunt.* Gœdelm. l. c. *Sic ad Pomponatium Medicum lycanthropus adductus, quem explorârunt, an verſipellis eſſet, i. e. inverſos pilos haberet. Sic enim credebant.. Sed Medici rogatu dimiſſus & curatus fuit.* Alius *in Sylvis vagatus amens & lupum ſe dicens, tandem DEI gratiâ menti reſtitutus fuit.* Guil. Brabantius in hiſt. Et Rathman. d. 16. Meta. m. 1. Sæpè *Lycanthropi cum ſe ſtrages edere dixerunt, ſtertere alicubi deprehenſi ſunt.* Peucerus p. 144. d. diu. Wierus l. 3. d. præſt. C. 10. *Sic puella quadam per ludibrium in eqvum verſa, aliiq́; Lycaones.* Meland. T. 1. Jocos. C. 366. 367. Sæpè *cum ſe è carcere ad ſuos abiiſſe dicunt, non eo exceſſiſſe obſervati ſunt, ut quidam Rigæ feſto Paſchatos.* Manl. p. 764. Collect. *Plura præſtigiarum exempla ap.* authores t. 3. *citatos reperias.*

8. Dices 1. Communis ſententia eſt, *Magos ſe transformare poſſe, & quæ magnos Viros applauſores habet.* t. 1. 2. *E. non temerè ei contradicendum. R. Communis ſententia ſæpè eſt erronea, & tùm ponderanda, non numeranda, &* Pythagoræ *illud cogitandum, per publicam viam ne incedito.* V. C. 2. t. 6. *Ubi & exempla allata. Et cum* Hiſtoriæ *certæ in contrarium ſunt, ac ſana* ratio *reclamat, ut hic,* t. 6. 7. *nihil communi ſententiæ credendum.* In ſentiendo

verum inquirendum & recipiendum, sive commune illud, sive singulare, ut alibi docetur. 2. Dantur historiæ multæ & *variæ istius transmutationis, quib. omnib. fidem derogare impudentis & pertinacis est. Memorabiles* Boisardus C. 6. *recenset, quæ strictim libandæ.* Sub Frothone 3. *Daniæ Rege Saga fuit, quæ se in eqvam, bovem, & filios in vitulos mutavit, & ad littus pascere visa. Ministri regis monstra gladiis confecerunt, & cadavera humanam formam capitibus ferinis receperunt.* In Germania *Cauponaria Saga histrionem in asinum mutavit, qui hospites mirificè exhilaravit, sed ubi in vicino lacu se demersit, ad hum. formam rediit. Quod* P. Damianus *Leoni 7. Pont. R. narravit, & coram eo ut possibile & factis demonstratum assertum fuit.* Alius *Anglus à Sagâ in Cypro in asinum versus ad 3. annos ita serviit, donec Saga capta veneficium solvere coacta & supplicio affecta est.* Burgotus & Verdunus *Magi, quòd unguento in lupos se verterent, & in homines ac greges sævirent, ann. 1521. vivi cremati sunt.*

9. *Apud Russorum ducem* Lycaon *aliqvis captus, & mutationem ostendere jussus, paulatim secessit, ac peractis suis mysteriis Magicis vicissim lupi formâ erectis in tergo setis ac expasso rictu cum iisdem catenis, qvibus vinctus fuit, rediit. In eum duos ferocissimos Molossos admitti Dux jussit, à quibus dilaniatus, priusquam ad priorem formam reverteretur.* Boisard. c. l. In Flandriâ *quidam lupus in venatione vulneratus, & in hominem reversus domum recurrit, ac â Chirurgo sanatus fuit.* Ad Vernoniam *Sagæ fuerunt, quæ felium formâ vicinos aggressæ vulnerârunt, & ipsæ vulneratæ formâ humanâ â Chirurgo curatæ sunt.* Cigogna l. 4. Magiæ, C. 5. Barbela Reyel *in felem,* Petronius *armentarius*

in lupum, Dolani *in idem, alia saga in Canem, alij in aliud se mutârunt.* Quædam *lupi specie opilionis greges invasit, & securi ab eo in femore læsa est. Inde in proximum dumetum se conferens vulnus discissæ vestis peniculamentis obligare ab eodem visa est.* Remigius l. 2. Dæm. C. 5. *Quidam tonsor in vitulum â Wagnero Mago, quem in arte suâ impediverat, Toleti mutatus fuit, & in istâ formâ ad vulnus ægri obligandum ivit, donec fustibus canibusq́ domo pelleretur.* Hildebrand. Goëtiæ. p. 77. *Apud* Bernenses *quidam Magus*, Scafius, *gloriatus est, se in oculis æmulorum suorum velut murem se facere posse, atq́ ita ê manibus inimicorum elabi*, Delrius l. 2. q. 21. *Leo Apollonij Rex aliquando fuit.* Boisardus in Apoll. p. 341. *Multa de his* Olaus M. *tradit, qui* ex Gothiâ oriundus ibi Episcopatum magnâ cum laude gessit, optimeq; novit, quæ ibi gererentur, cuiq; adeò fides derogari non potest. Quòd si falsa ille scripsisset, *multos suorum habiturus fuisset, qui contradixissent, & scriptis ejus fidem abrogassent. Vt* Boisard. c. l. *loquitur.*

10. ℞. 1. Historicis fide historicâ & humanâ credendum est, non absolutè. *Inquirendæ sunt variæ rerum circumstantiæ, modi, rationes, facta ipsa probè ponderanda, utrùm in omnibus justo modo se habeant?* Sæpè *quædam narrantur, non quòd facta, sed quòd pro factis habeantur & assumantur.* Sæpè *ex communi sensu aliquid narratur, non quòd pro immoto illud censeatur.* Sæpè *ab alijs tradita, narrata, hausta, non visa & propriâ experientiâ deprehensa traduntur.* Sæpè *res ipsa saltem traditur, modus & ratio rei non additur, nec exprimitur. Sic in Lycanthropiâ lupos quosdam vagari, strages edere, nocere. Quod verum est. An isti ex hominibus verè transformati sint, & in homines verè postea redeant,*

& qua

& quâ ratione iſta tranſubſtantiatio ſe habeat, non additur, & apud prudentes ſemper dubium remanſit. Cum aliquid narratur, quod naturæ rei in ſeſe contradicit, Sathanæ poteſtatem tranſcendit, non ei ſubjacet, DEI poteſtati præjudicat, per præſtigias Sathanæ & apparentias fieri poſſe certum eſt, Confeſſionibus hominum corrupti judicij & â Sathanâ variè exagitatorum, ut Magorum, nititur, *ſolidis experimentis confutatur, â doctis ac prudentibus Viris rejicitur & impoſsibile habetur, id non facilè fidem apud cordatos invenire debet, utcunq; â varijs Hiſtoricis tradatur. Tale autem quid hoc de Lycanthropiâ eſt,* t. 3. 4. ſequ. Confer C. 4. t. 3. *Non ergò ſtatim pro Veris recipienda, quæ hic ab Hiſtoricis traduntur.*

II. 2. Exempla in ſpecie quod concernit, In primo *præſtigiæ fuerunt, & Sagæ iſtæ boves & vituli tantùm viſæ ſunt, cum* reverâ *homines eſſent, quod poſtea figura humana oſtendit, cui cum capita humana eſſent, iterùm eluſione Sathanæ apparentiam externam procurantis, ferina Miniſtris regiis viſa ſunt. Nullâ reali hic transmutatione opus fuit. Sic* per præſtigias hominib. capita bovina, *vaccina, eſſe viſa fuerunt, ut nonnullis in convivio apud* Wagnerum *Magum.* Hildebrand p. 75. Goëtiæ. In ſecundo *aſinus iſte hiſtrio & homo fuit, faſcinatione Sagæ ſibi & alijs aſinus viſus. Vbi in fluento ſe demerſit, faſcinatio ceſſit, ſibiq; & alijs homo iterùm viſus eſt.* Simile de Juvene Anglo *procedit, qui ſublato per Sagam faſcino homo iterùm videntibus apparuit. De* Burgoto & Verduno *idem habendum.* Lycaoni *apud Ruthenorũ Ducem pellis lupina in corpore humano aptata, & convenienter membris circumdata eſt, quo modo Sathanam exuvias ferarum aptiſsimè corporibus circum-*

 ducere

ducere posse certum, & interdum fecisse factis comprobatum est, ac confessiones Lycanthroporum propriæ docent, ut cum lupinam pellem in trunco cavæ arboris occultandam à Sathanâ sibi datam esse fatentur. Quidamque eam sibi aptant, perque eam in lupos transformati videntur. Sic cum Stumpfio Petro *Bebburgi in Vbijs supplicio affecto, latam quandam Zonam donavit, quâ cum cingeretur, & sibi & alijs in lupum verti visus est, eoque schemate 15. pueros jugulavit, cerebella eorum devoravit, duas nurus suas devorare conatus est, apud* Delrium c. l. q. 18. *Hoc modo Ruthenicus iste Lycaon â Molossis laniatus in pelle istâ est, cum intus homo existeret, & pelle detractâ figura humana animadverti potuit, si exitus historiæ, quem* Boisardus *non adducit, cognitus fuerit.* Idem in Lupo in Flandriâ *vulnerato esse potest, qui homo fuit, sed lupino tegumento involutus. Non mirum, si membris humanis postea saucius repertus est.* Vel *verus lupus vulneratus est: Sed Sathanas in absentis lycanthropi corpore eam partem eodem momento consauciavit, quam in ferino corpore sauciatam esse scivit. In Vernonijs Sagis vel idem contigit, vel ex aëre aut undecunque formata felis effigies â Sathanâ inducta & agitata fuit, eaque vulnerata respondentes partib. corporis partes & ipse Sathan celerrimè in Sagis vulneravit, sicque Sagas istas veras feles extitisse visum est. Eadem in reliquis exemplis procedunt.* Tonsor Toletanus *homo fuit, sed fascinatione tantùm Magi vitulus visus, quâ cessante prisca forma in eo iterùm â videntibus animadversa est.* Idem *de Sagâ canis specie in villam Molzanij in Megapoli accurrente, statimque in mulierem immutatâ apud* Hildebrand. p. 81. Goëtiæ, & Lercheimer. d. Zauber. C. 12. *procedit.*

12. Interdùm Magis aëriam beluæ effigiem circumdat,

cumdat, membra membris, quoad ſimilitudo circumponens patitur, accommodat, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachijs, adaptat, ſicq; in tragœdiam excitat, ferociam, robur, indolem, velocitatem, levitatem, vocem, ſimilesq; affectus beluinos inducit, quibus inſtructi Strages ac dilaniationes iſtas præſtare in effigie iſtâ beluinâ adaptatâ poſſunt, quas aliàs naturæ propriæ vi non poſſent. *Sic Quercetenſes moniales inſtruxit, ut dæmonis ope ad proceriſſimas arbores inſtar felium perniciſſimè adreperent, ex ramis extremis mirabiliter penderent, voces quarumvis beluarum facilimè formarent, aliaq; ſtupore digna perficerent.* Remig. c. l. C. 5. *Hoc modo non mirum, ſi membris humanis poſtea ſaucij reperiantur, quæ in ferino corpore ictum exceperunt. Aer enim circumjecti corporis leviter ceſsit; vulnusq; proprio corpori inhæſit. Interdùm aliud corpus loco hominis ſubſtituit, per quod effecta iſta edit*, t. 8. *Abſentibus enim & alicubi ſoporatis ipſe aſſumpto lupi corpore & ſibi circumdato iſta gerit, quæ homines ab abſente & ſoporato geſta eſſe putant, quod ſtrategema aliquando manifeſtatum eſt*, t. 7. Olai Magni hiſtorijs ſi non in omnibus fidem quis adhibere velit, prudenter fecerit. *Nam & in plurib. Scriptor valdè fabuloſus eſt, quiq; cum prudentiâ aliquâ evolvendus eſt. Sic in genitura anſerum Scoticorum errare arguitur â* Pinciero l. 1. ænigmat. 1. *Et in hac ipsâ Lycanthroporum hiſtoriâ fabuloſa admiſcet. Vt cum* l. 18. C. 14. *eos cellaria cerevíſiarum ingredi ſcribit, illicq; aliquot Cereviſiæ ac methonis tonnas epotare, & in medio cellæ vaſa ordine elevando collocare.* Poſtea *parietem aliquem ex Caſtello diruto reliqvum eſſe addit, ad quem certo anni tempore aliquot millia eorum conveniant,*

ant, ubi cujusvis agilitatem saltando explorent. Si quis parietem transilire nequeat, ut obesiores fortè, flagellis à præfectis eorum cadantur. Quis hæc in lupos & bestias cadere credat, & non magis hominum esse agnoscat? An & lupi cerevisias ac mulsa expetant, ut ob id cellas invisant? An & ordinatè res componere curent, *de velocitate corporis contendant, in tardos pœnas deposcant, conventus cogant, & similia agant? Hominum hac sunt, qui præstigijs videntium oculis elusis, lupi ipsis videri possunt.*

13. 3. Vulnera & verbera in corpore humano animadvertuntur, quæ in lupino perceperunt, E. lupos fuisse oportet. ℞. Nempè vel Diabolus *eo momento, quo lupi vulnerantur, qui verè tales sunt, & à Sathanâ in tragœdiam excitantur, vulnerib. corpora Magorum domi soporatorum aut absentium impetit*, vel hominum corpora *lupinis exuvijs investit*, vel præstigijs *spectatorum oculos illudit, ut cum homines reverâ sint, externo asspectu lupi esse videantur:* Vel aerio *aut alio corpore formato ipse discurrit, eaq́ perficit, quæ Lycanthropis adscribuntur*, t. 11. 12. 4. In sacris historia uxoris Lothi in statuam salis conversæ, & Nebucadnezaris in beluam degenerantis, Dan. 4. occurrit, quem Gregorius l. 5. Moral. C. 8. *in animal irrationale mutatum scribit.* Dorotheus etiam in Synopsi, & Epiphanius in vita Dan. *priore corporis parte eum bovis, posteriore leonis figuram retulisse scribunt. Cur non Sathanas simile quid præstare poßit?* ℞. Lothi uxor *divinitùs ita est immutata, & anima à corpore statim separata fuit, ut nunquam ad illud in hoc mundo redierit, cum verè immutatione istâ mortua sit. DEI autem potestati Sathanæ & Magorum potestas in hoc puncto par non est*, t. 6. 7.

Nebu-

Nebucadnezar autem corpore & animâ humanâ retentis affectu, conatu, sensu, appetitu saltem in furorem, mores, ac rabiem beluinam, *& corporis habitu, pilis & unguibus in ferinam magnitudinem & horrorem excrescentibus, cute ad modum feræ induratâ, exteriorem ferinam aliquam speciem adeptus est, ac in tali inter beluas versari, pabulo earum pasci, pecudum more quadrupes repere, homines fugere, sub dio degere, instar bovis aut alterius feræ clamare, & vivendi modo bestÿs consuescere potuit*, V. 12. 20. 22. 29. seq. *Figura humana ratione pilorum & unguium excrescentium in horrorem aliquem degeneravit: Corpus substantiâ sui permansit. Vnde Cor feræ ei datum fuisse*, v. 31. *Et post ad rationem iterùm redÿsse*, v. 31. 33. *Et potentiam supremi agnovisse dicitur.* Cor *autem in Sacris affectum, sensum, conatus, appetitum, notat*, Ose. 4. v. 11. Act. 4. vers. 32. Ezech. 28. v. 2. seq. Jac. 4. v. 8. 1. Joh. 3. v. 17. *quæ in beluina in eo degenerârunt. Quæ omnia nihil ad* lycantropiam Magorum, *qualem ipsi volunt, faciunt. Et licet substantia immutata fuisset, ut* Patres *citati volunt, Divina ea fuisset immutatio, â quâ ad Sathanæ potestatem arguere non Val. consequentia. Sic in finibus Moscoviæ quidam* Albert. Pericofcius *horrendis super jumenta unâ nocte extincta blasphemÿs usus Sclopetum in cœlum explodens, qui interfecit, devoret, dicens, si me edere noluisti, tute edas, confestim in atrum canem divino supplicio mutatus est, & morticina invasit.* Cluverus append. histor. ad An. 1632. p. 38.

14. 5. Herodotus platanum aliquando in oleam versam esse scribit, & alius apud Carnos cadavera humana in salis statuas immutata fuisse scribit ap.

Delrium c. l. Sic ex viris mulieres & vicissim facti sunt, C. 9. t. 3. E. & hæc transmutatio non incredibilis erit.

℞. Si platanus *verè in oleam degeneravit, factum id naturali & mediatâ conversione, per varias corruptionis & generationis materiæ propinquæ vicissitudines & commutationes, donec tandem apta ad eam formam ultima dispositio introducatur.* Quâ ratione & Sathanam mediante naturâ ejusq; præparationibus aliquid immutare posse certum est, qui arcanorum naturæ peritissimus est. *Sic triticum in lolium, Sisymbrium in Mentham, rapum in raphanum, ozymum in serpillum, vitis alba in nigram & contrà, in regno plantali commutantur.* V. Sennertum d. Chym. cons. C. 12. *Erucæ in papiliones quotannis,* Aristot. 5. hist. anim. C. 19. *vertuntur.* Pincier. l. 3. ænigm. 6. *Et ex erucis papiliones succedunt.* Arist. 5. hist. anim. C. 19. *Erucæ etiam in bombyces, & bombyces in necydalos mutantur.* Idem c. l. *Vermes ex brassica nati in Chrysalides mutati sunt, & hi post in parvas muscas abierunt. Ex Vermiculo in aquis nato Chrysalides fiunt, ex his alatum quid, quod parlam aut* Boltzen *vocant.* Senn. c. l. *Arboris frondes in Juvernam fluvium lapsæ pisces fiunt, in terram volucria, quæ avolant.* Slaliger ex. 59. s. 2. Conf. Ex. 190. Hoc modo & per naturam transmutationes rerum Diabolum perficere posse constat. *De cadaveribus in statuas mutatis vel totum præstigiosum fuit: vel mediante naturâ & communi utriusq; materiâ, terrâ, per successiones procuratum.* 6. Ut lutum *in manu figuli ad varias formas, ollæ, Canthari, Cacabi, Vasis, statuæ, aut alterius, sic materia & corpus hominis in vi Sathanæ ad varias figuras.* R. Negatur consequentia. *Lutum ex se indifferens ad varias figuras est, cum nullam*

habeat.

habeat. Corpus humanum, quamdiu tale, ad certam est determinatum, t. 3. 4. *Quam pro lubitu mutare Sathanæ non poßibile, & nobilitati hominis dedecorosum est. De DEO verum est, quod ut figulus hominem versare poßit.* Jerem. 18. v. 6. *Nunquam id de Sathanâ scriptum. Ubi ex hominis corpore cadaver factum, plùs fortè Sathanæ liceat, quanquam & hic naturam adhibere cogatur, & sæpiùs præstigijs eum ludere dubium non sit.* 7. Si natura *unam materiam in varias figuras succeßivè vertit, cur non Sathanas id celeriter poßit, cum mirificè naturam incitare, adjuvare, & promovere queat?* ℞. Non de quavis materiâ, *sed humanâ hic quæritur. Ignobiles materias invertere eum, sed naturæ vi & medijs adhibitis, posse, certum est. Sed successu alterationum & corruptionum hic opus erit, non momento perficiet. Perfectorum animalium species substantialiter immutare ita non potest*, t. 4.

15. 8. Magi Ægyptij *baculos in Dracones commutârunt*, Exod. 7. v. 12. *E. & hæc hominum transmutatio Dæmoni non impoßibilis erit.* ℞. Vel *ista baculorum immutatio tota præstigiosa fuit, nihilq́; verè hic factum, sed quasi fieret, tantùm apparuit, ut multi censent*, V. C. 1. t. 2. Vel *baculi ab adspectu adstantium remoti, & dracones eorum loco celerrimè â Sathanâ substituti fuerunt, non verè ex baculis draconum substantia immutata & producta fuit:* Vel *deniq́; si maximè vera substantiarum hæc immutatio fuisset, â baculis immutatis ad hominum substantiam in lupinam convertendam non valet Consequentia. Longè major enim difficultatum seges in rationali substantiâ, ad imaginem DEI conditâ, Dominio in bruta instructâ, DEI & Spiritus S. domicilio, ad cæli & naturæ contemplationem natâ & excitatâ, vero*

Microcosmo, ac insignib. eminentijs præ alijs creaturis dotatâ, in substantiam beluinam convertendâ est, ac baculo, aut simili inanimatâ re in aliud convertendâ, adeoq; plures rationes sunt, cur talem mutationem finitæ virtuti subjacere negandum sit, t. 6. 9. Fatentur ipsi Magi, *se in bestias quandoq; immutari, variaq; in istâ formâ perficere, quorum Circumstantiæ ac effecta deinde inquisita exactè confessioni respondent, & in istâ confessione constanter permanent, nec sibi aliud liquere asserunt. Fatentur etiam, se alios in istas formas transformare posse. E. non omninò hoc pro nihilo habendum erit.* ℞. Confessio Magorum, *quia hominum â Sathanâ planè dementatorum est, & de re ipsi naturæ rerum contradictoriâ, Sathanæ potestatem transcendente, soli potentiæ divinæ reservatâ, hominis Naturæ ac dignitati magnoperè præjudiciosâ eamq; extenuante, sæpiùs apertis experimentis falsa deprehensa est, in tali puncto stringere non potest.* V. C. 4. t. 3. C. 5. t. 5. *Quæ omnia in hac materiâ ita se habere* t. 6. 7. *patuit. Sic confessioni Melancholicorum, delirorũ, Maniacorum, etsi Jurantium, nihil creditur.* C. 4. c. l. *Ita sæpè quædam fassi sunt Magi, in quibus observatione adstantium continuatâ manifestè falsi deprehensi sunt.* C. 4. t. 15.

16. 10. Ipse Sensus *externus testatur, homines interdum in Cellam ire, & lupos reverti.* ℞. Vel *sensus eorum, qui talia vident, perstricti sunt* : vel *lupinæ pelles istis hominibus aptatæ, & ferocia ac affectus lupinus â Sathanâ inditi sunt*, t. 10. 11. 12. 11. Operationes *luporum in talibus observantur, Vlulare, greges infestare, dilaniare, celerrimè currere. Ex operationib. autem naturas rerum venamur.* ℞. Ex operationib. *proprijs, essentialibus, & non alio principio externo inditis, naturas venamur. Secus Bileami asina locuta,*

quod

quod hominis operatio eſt, nec homo ob id fuit. Bruta quædam, boves, equi, aves, dracones, incitatu Sathanæ locuti, ut in Ethnicis hiſtorijs habetur. Nec ſtatim homines. In lycanthropis tales operationes ex affectu & feritate lupinâ â Sathanâ conciliata, t. 12. *eſſe poſſunt, non ſtatim veri lupi eſſe coguntur.* 12. Ea onera *portant transformati, ut* 5. & 6. *homines nequeant. E. beſtias verè eſſe neceſſe eſt.* ℞. *Et hoc robur Sathanas conciliare poteſt, quamvis homo maneat. Sic obſeſſi robuſtiſſimi.* V. Michaël. t. 3. Vel *Sathanas ipſe iſta onera portat, beluæ ſpecie aſſumptâ, & homo alicubi ſoporatus jacet:* Vel *meræ onerum hic præſtigiæ ſunt, & onus leviſſimum eſt. Sic gallus magnam trabem interdum trahere viſus, & reverâ leve ſtramen ac feſtuca fuit, ut acutiores viderunt.* 13. Longo *tempore ſub beluina formâ perdurant,* 3. 7. 9. *annis, aliquot menſibus, ſeptimanis, diebus. At phantaſtica corpora brevi diſſolvi ſolent. E. vera eſſe oportet.* ℞. Sed *nec iſta tot annorum duratio, quam immutati ſibi perſuadent, tanta ſemper eſt, ſed phantaſtica & præſtigioſa ſæpè, ut ipſa transformatio talis eſt:* Et licet *interdum ſit, Sathanæ vires id non ſuperat, qui ad breve & longum tempus oculos faſcinare poteſt, ubi DEUS permittat.* 14. Crudas *beſtiarum & hominum carnes iſti devorant, quod naturæ hominis alioquin adverſum.* ℞. *Multis hominib. feris & barbaris id etiam in uſu eſt, ut Americanis, Braſilianis, Antropophagis,* t. 18. *Nebucadnezar gramine & carduis pro cibo uſus eſt, & homo manſit. Et Lycanthroporum temperamentum ita Sathanas efferare poteſt, ut tales cibos concupiſcant & concoquant.* t. 17. *Sic Æthiopes quidã crudis locuſtis victitant, alij herbis paſcuntur, alij obvium quidq; pro cibo vorant, ob id pamphagi dicti.* Plinius l. 6. C. 30.

 17. II. Quæ-

17. II. Quæritur: Quid ergò tandem de decantatâ istâ Lycanthropiâ habendum sit, *quæ apud Scriptores passim obvia, si nihil rei aut veritatis hic subest.* ℞. Vel *tota hæc res ludibrijs Diabolicis constat, quà homines alicubi sopitos somnijs Sathanicis impurus genius infestat, humores etiam & utramq; bilem corrumpit, & monstrosis imaginibus confundit, ut homines in lupos versi esse sibi videantur, stragesq; hominum & pecorum edere; Cum ipse interim speciē lupi assumptâ discurrat, eaq; quæ hominib. imputantur, perficiat:* Vel *si quid veri interdùm subest, pelles lupinas humanis corporibus aptissimè circumdat, & efferatos sic in sylvas, agros, agit, ac inter pecudes grassari facit, inprimis ubi naturæ ipsæ hominū etiam beluinæ sunt, quales pleræq; lycanthroporum*, t. 10. 11. 12. Vel *in quibusdam subjectis morbus atrobilarius aut undecunq; comparatus obtinet, quem Medici lycanthropiam & appetitum, insaniam, melancholiam, affectum & morbum lupinum appellant, in quo appetitus hominis beluinus, ratio monstrosa, & mores feri ac bestiales evadunt, & homo moribus similis lupo ac bestiæ existit, odium in greges ac homines, desideriumq; eos invadendi, lacerandi, & vorandi mentem occupant, quomodo ex simili vitio quidam se canes, unde Kynanthropia, ubi canum mores & actus exprimuntur, cujus exemplum* Forestus l. 10. obs. 26. *habet, leones, vel alias bestias esse putant, de quo morbo Medici tractare solent*, V. Aeginetam l. 3. c. 16. Aetium l. 6. C. 10. Avicennam l. 3. fen. 1. t. 2. 4. C. 29. Wierum l. 4. C. 23. Sennertum l. 1. Pract. Med. p. 2. Cap. 16. Et l. 2. Instit. p. 3. s. 1. C. 7. Et s. 2. C. 4. *Quali morbo Patavij agricola quidam apud Fincelium, & alius Vir prudens apud Brabantinum laboravit, quos* Wierus c. l. *allegat*. *Sic de cerebro ursi*

ursi devorato Plinius *tradit, quòd imaginationes gignat, quasi in Vrsum quis versus sit. Id in Hispano quodam nostro seculo expertum, qui per deserta & montes vagatus se in ursum immutatum vitiatâ phantasiâ existimavit, ut* Idem c. l. *adducit. Sic puella hausto felis sanguine naturam ejus paulatim induit, voce, saltu, gestu, muricipio, felem exprimens, ut ex* Weinrichio Sennertus l. 2. Instit. c.l. *annotat. Qui tali morbo correpti sunt, sibi tantum lupi esse videntur, lupinamq; sævitiam imitantur, aliis homines apparent, & Magi non sunt, sed Medicè curandi sunt, ut ad sanam mentem in corpore sano reducantur. Qui autem & aliis lupi videntur, illi Magi sunt, & ex pacto cum Sathanâ operantur, qui variis hic præstigiis cùm in ipsos Magos, tùm in intuentes agit,* t. 11. seq.

18. Vel deniq; lycanthropia feritas aliqua & excedens hominis malitia est, θηριότης, Vitium, quod virtuti heroicæ oppositum Ethici facere solent, *quæ appetitum hominis in beluinum exclusâ aut perversâ ratione commutat, quà homo â communi humanitate exorbitans omnem humanitatis sensum exuit, & vivendi modo, affectu, morib: & appetitu in bestiam velut degenerat. Vide* Aristotelem 7. Eth. Nicom. Cap. 1. 6. 7. Confer dec. 3. Miscell. d. 9. t. 27. *Ejus causas* C. 6. Aristoteles tres *recenset*, naturam pravam ac degenerantem, morbos ac læsiones corporis graves, & pravam consuetudinem. Natura causa est, *Sic quædam gentes naturâ feræ & barbaræ sunt, ut nudis corporibus incedant, in sylvis instar pecorum palent, humanis carnibus aut crudis vescantur, liberos suos epulis exhibeant. Tales ante hac quidam* Americani, Anthropophagi, Brasiliani, & similes, *de quibus historia Americana consulenda.* Quædam

dam *apud* Plinium l. 5. C. 8. L. 6 C. 17. *vide.* Sic Caligula *naturaliter ferus fuit, ut Tiberius exitio omnium eum vivere, & se natricem Populo Romano, ac Phäetontem Orbi terrarum educare diceret.* Suetonius Cali. c. 11. *Unde postea feri excessus in vita, velut in monstro, eluxerunt.* Idem C. 22. seq. *Ita efferis moribus & aspectibus esse, qui nimio æstu vel frigore habitant,* Aristoteles s. 14. probl. q. 1. *scripsit, quia excessus omnis aëris corpus & spiritus hominis à temperie suâ dimovet & deijcit, velut temperies ejus corporis & intelligentiæ symmetriæ conducit.*

19. Morborum gravitas causa est: Sic in Melancholicis ex phantasiæ vehementi corruptione fœdæ persuasiones & absurdi appetitus exoriuntur, ferini magis, quàm humani. V. Mizaldum C. 1. t. 28. 56. C. 7. t. 78. *Et in gravidis vitio humorum sæpè desiderium abominandorum ciborum, ut calcis, picis, terræ, cretæ, carnis humanæ, existit, ut exempla apud* Medicos *prostant. Sic* Petro Pomponatio *ager lycanthropiâ laborans oblatus est, qui rusticos fugere jubebat, ne â se devorarentur, & quem illi excoriare ceperant, ut an versipellis esset, vel inversos pilos haberet, explorarent. Sed Medici intercessione dimissus, & per medicamenta curatus fuit.* Camerarius C. 1. C. 72. Prava Consuetudo. *Sic* Cleomenes *Spartanorum Rex è longâ cum Scythis helluatione eò feritatis pervenit, ut proprios sibi artus ferro detruncaret, donec ad abdomen deveniens exspiraret.* Herodotus l. 6. p. 172. Plutarchus in Cleomen. Zuinger. Vol. 2. l. 2. *Ita* Nero *ex peccandi assuetudine in beluinum monstrũ vitiorum degeneravit.* Sueton. Neron C. 32. seq. Joh. Basilides *ex tyrannide in tetrum sævitiæ monstrum degeneravit, quod humano sanguine satiari non potuit.* Guagnin. descr. Mosco. C. 5.

De actionib. Magorum in cœlum & elementa.

THESIS XIX.

QVarta his â Christianis addi potest causa, Diaboli sævitia, *qvi cum impios omnes ad dissolutam ac beluinam vitam deducat, regnumq́ suum amplificare qvotidiè intendat*, C. 3. t. 18. 19. *Inprimis tamen eos*, qvos per vim ac speciali fœdere secum inito occupat, *ad qvævis facinora non humano solùm, sed & beluino appetitu deteriora, impellere potest. Sic* Magum qvendam, Palumbum, *sacerdotem impulit, ut cum finem sibi instare cerneret, proprios artus sibi, ut Cleomenes, detruncaret.* Hildebrand. in Goëtiâ p. 135. *Tales autem & lycanthropi sunt, qvi omnes Magi & fœderis Sathanici rei sunt*, t. 1. 2. *Non mirum, si hos variis modis verset impostor, eludendo, corrumpendo, detorqvendo, dementando, speciem ipse assumendo*, t. 11. seq. *Multa etiam hic conficta*, t. 12. *Aut præstigiis acta*, C. 4. t. 18. *Mirus enim ludio in suis Dæmon, & qvæ potest, mirabilib. modis ostentat, & variè adornat.*

20. *Ita fuit* & Magorum in bestias transformatio, adeoq; ea, *qvæ Magis ipsis* absolutè in sese *spectatis convenire putantur, universa:* Seqvuntur respectiva, qvæ Magis in collatione ad alium Magum spectatis eveniunt. Hæc ordo superiorum ac inferiorum, & concertationes Magorum sunt. Ordo est, qvo respectus aliqvis superiorum & inferiorum inter Magos est, unusq; alteri in operando interdùm prævalet, eumq; impedire potest. *Esse inter eos ordinem patet* 1. Ratione. 1. Qvia inter Diabolos

bolos

bolos ordo *qvaliscunq; inferiorum & superiorum obtinet, ut* partim *Scriptura insinuat,* Luc. 11. v. 15. Ephes. 6. v. 12. Partim Natura docet, *Cum regnum aliqvod faciant, qvod sine ordine non consistit.* V. Mich. t. 70. *Et robur ac potentia Dæmonum diversa, ex qvâ diversitate ordo qvidam & distinctio sumi potest:* Partim *communiter Scholastici & Patres consentiunt*, V. Tanner. T. 1. d. 6. q. 6. d. 7. n. 3. 4. Beyerling l. 4. Polyanth. Voce dæmon. *E. & inter Magos, Sathanæ fœderatos. Qvamvis iste ordo ejus accurationis non sit, ut in bonis angelis & hominibus, Qvomodo ordinem in illis reperiri* Job. 9. v. 22. *negatur: Sed imperfecta ac materialis aliqva distinctio reliqva, ex diversitate virium aut aliundè sumpta, multiplici etiam confusioni permista.* 2. Qvia *unus Magus in agendo potentior, celerior, eminentior, celebrior altero, & alter superiori interdum cedere cogitur, ut* t. 21. *patebit. Sic unus interdum morbum sanavit, qvem alter tollere non potuit,* V. C. 9. t. 24. *At ubi hoc, ibi gradus aliqvis & ordo.* 3. Exemplis. *Quia unus alterum impedijt in operando, qvandoq; & occidit.* C. 4. t. 19. *Et* h. C. t. 21. *At hoc majoritatem aliqvam, & conseqventer ordinem involvit.* 2. Authoritatibus. *Sic* Apulejus *Sagam memorat, qvam sagarum reginam appellat,* l. 1. d. asin. Et l. 2. *Pamphilen adducit, qvam primi nominis Magam, & omnis Carminis sepulcralis Magistram credi addit. Sic Manetho Magus Apollonium contempsit,* V. C. 3. t 13. *Niphus Magos dæmones excantare in virtute principis ipsorum ait.* V. Beyerling. c. l. p. 4. *Excantare autem non omnes Magi possunt.* Hildebrandus de Goëtiâ, p. 322. Princeps *aliqvis cum de filij decumbentis eventu Magos consuleret, responsum ab illis accepit, è Germaniâ peritiores Ma-*

gistros

giſtros accerſendos eſſe, ut eventus cognoſcatur. Alios enim alijs inter Diabolos ac Magos hanc ad rem aptiores eſſe. Bodinus l. 8. C. 4.

21. Concertationes Magorum ſunt actus externi, qvibus inter ſeſe, vel cum pijs, de imposturis ſuis ſpecimen edunt, & certamen ineunt, ac de ſuperioritate *inter ſe contendunt, vel cœtus alicujus exhilarandi ac detinendi gratiâ ludiones agunt.* Hæ variæ *ſæpiùs inita.* Inter ſeſe, *cum Magus cum altero Mago contendit. Sic in Angliâ duo contenderunt, & unus alterius ex feneſtrâ proſpicientis capiti cornua cervina aptari fecit. Alter vindictæ cupidus in parietem carbone hominem pinxit, & priorem parieti ſubire juſsit, qvi ceſſurus ſit. Paries locum dare viſus, & ingreſſus eſt iſte, ac nusqvam comparuit. A dæmone ſuperiore occiſus, & corpus alicubi abditum fuit. In Germaniâ alter alteri caput præſecuit,* C. 4. t. 19. *Pragæ in Bohemiâ Zytho Bohemus Bavaricum Magum devoravit,* C. l. t. 18. *In Gothiâ Gilbertus cum Catillo pugnans obriguit, & in cavernam ſubterraneam ligatus eſt,* Olaus l. 3. C. 20. *Alius ſenex Magus Biarmenſes ob Magica feroces unus omnes ſuperavit.* Saxo Grammat. l. 1. hiſt. Dan. *Apud Samios* Chalcantes & Mopſus *divinatores inter ſe contenderunt, & Chalcas mœrore obijt.* Boiſardus d. divin. p. 177. *Sic Romæ magus alterum ferè occidit, donec hic ſe victum fateretur.* Idem p. 85. 86. *Toleti* Wagnerus *Magus cum ſtudioſis Magia contendit, in ſues eos transformavit, naſum alicui reſecuit, oculoq; privatus, caput uni ipſorum è corpore decidi fecit.* Hildebrand. p. 67. ſeq. Goëtiæ. Fauſtus *cum qvibusdam Francofurti certavit, & reſectum caput ſtipiti iterùm imponi poſſe perfecit.* Idem Cap. 69.

 22. Cum

22. Cum pijs, qvando cum Christianis DEUM timentibus certârunt. *Sic* Cynops *Magus in Pathmo cum Iohanne Apostolo contendit, & se in mare præcipitavit, inde se emersurum dicens. Sed precibus S. Iohannis aqvis suffocatus perijt, & procellis in littus ejectus.* Philetes *Magus cum Iacobo Apostolo signis certavit. Sed hic virtute Christi effecit, ut nihil vi dæmonum iste præstare posset.* Hermogenes *Magus catenis â Sathanâ vinctus ad Iacobum ductus est, vim divinam in eo agnovit, ad fidem Christi conversus est, Dæmonibus valedixit, & libros Magicos concremavit. Ex* Marullo & Sabellico Boisard. p. 355. tradit. Romæ Simon Magus *cum S. Petro contendit, & in aëre volare præsumpsit. Sed precibus Petri ex aëre decidens femur fregit, paucosq; post dies doloribus cruciatus Ariciæ expiravit.* Idem de Magiâ C. 7. Et Egesippus l. 3. C. 2. *Qvanqvam alij totum hoc pro fabulâ habent, ut* Maresius diss. d. AntiChristo, p 79. 80. *In Indiâ duo peritissimi Magi,* Nachor & Theodas *ab Avennio Rege Indorum acciti sunt, ut filium Iosaphat Christianum ab Barlaam Eremitâ factum â fide averterent. Sed Iosaphat cum illis congressus eos vicit, eoq; illi Dæmonibus relictis Christiani facti sunt.* Damascenus in histor. Barlaam & Josaphat. Tholosanus l. 13. de Repub. C. 25. n. 14.

CAPUT VII.

De actionibus Magorum in alia â se, & primò in insensata, ut Cœlum & Elementa, minerabilia ac vegetabilia.

Sic

SIc qvæ Magis ipsis *eveniunt, absolutè & respectivè.* Seqvuntur, qvæ ab illis in alijs effici creduntur. Hæcq; vel insensata corpora sunt, vel sensu prædita. *In Spiritus enim & spirituales substantias nihil imperij magis esse certum est. Et cum Sathanas à Magis cogitur, totum simulatorium, aut pacto cum Mago nixum est. Et superior Dæmon inferiorem cogit,* V. C. 6. t. 20. *Non Magus. Ac qvæ Magi de herbis, verbis, suffimentis, balneis, exorcismis, crepant, ut* Hermes, Proclus, alijq;, *vana sunt. Nulla enim corporalia spiritualium vim æqvare possunt, eoq; nihil naturaliter ab illis dæmones pati possunt. Nec locus* Tob. 6. v. 8. *præjudicare, nec commenta* Rabbinorum & Judæorum *qvidqvam hic juvare possunt. Sanctorum in dæmones potestas divina & supernaturalis, Ignis infernalis in eosdem activitas ejusdem generis est.* V. Michaëlia t. 72. *Eoq; à Magorum vi penitùs diversa est.*

2. *Quæ ergò in corpora insensata à Magis exercentur,* vel cœlestia corpora, vel subcœlestia sunt. Cœlestia, *ut cœlum, astra, lux cœlestis, solaris, lunaris, &c.* Subcœstia, *ut aer, aqva, terra, fruges, arbores, flores, metalla, & similia. De qvibus qværitur* 1. An in cœlum & astra aliqva Magorum potestas? *Dæmonibus qvidam eam vim tribuunt, ut* Thyreus l. 2. d. Spir. apparit. C. 14. Zoroastres *ex stellis velut scintillas eliciebat,* C. 4. *Poëtæ Sagis tribuunt, qvòd Carmina vel cœlo possint deducere Lunam.* Virgilius Eclog. 8. Et L. 4. Aenei. *Carminibus qvæ se promittit solvere mentes, sistere aqvam fluvijs, & vertere sidera retrò. Sic apud* Ovidium 7. Metam. *Medea, Te qvoq; Luna traho qvamvis Temesca labores Aera tuos minuant.* Et in Epistolis: *Illa reluctantem cursu deducere lunam nititur, &*

 tenebris

tenebris abdere Solis eqvos. Similia 12. Metam. Propertius L. 2. El. 28. Claudianus l. 2. in Ruff. Tibullus L. 1. el. 2. 8. Statius 6. Theb. Seneca Hippol. a. 2. ſ. 1. Et Herc. Oet. v. 450. Horatius Epod. 5. 6. 17. Ariſtophan. Nub. a. 2. ſ. 2. Lucanus L. 6. Petron. ſat. alijq; *habent. Præcipuè* Theſſali *Magi hoc celebres fuerunt, illudq; ſe poſſe ſibi adſcriptum voluerunt. Cœloq; ita deductæ Lunæ, ut putabant, aut caligine laboranti, magno æreorum tintinnabulorum ſtrepitu aut facib. accenſis ſuccurri poſſe cenſebant,* V. Juvenal. ſat. 6. Ovidium 4. Metam. Statium l. 6. Theb. Tibullum l. 1. Eleg. 8. Buchananum l. 1. & 5. Sphæræ. *Imò mare, terra, Cœlum, tartarus ſervit mihi, nihilq; leges ad meos cantus tenent, ait nutrix Magica apud* Senecam in Herc. Oet. c. l. *Ex Philoſophis* Empedocles ap. Laertium l. 8. d. vit. Phil. Apulejus l. 1. & 2. d. aſin. alijq; *idem Sagis adſcripſerunt.*

3. *Falſa univerſa hæc, & nihil in cœlum ac aſtra Sathanas & Magi poſſunt.* 1. Qvia *ſemel Sathanas de cœlo ob malitioſam apoſtaſiam & ſuperbiam deturbatus eſt, ut locum ibi invenire non poßit. Qvorſum* Patres qvidam & *Interpretes* Eſai. 14. v. 12. Apoc. 12. v. 9. *& alia accommodant, etſi primò & literali ſenſu de alijs, qvàm Sathanâ, iſta loqvantur. Non credibile, poſtea temporis qvidqvam juris ac virium in cœlum, & qvæ in eo, aſtra, motum, converſionem eorum, eum retinuiſſe. Si Dæmoni nulla hic poteſtas, nec Magis ejus ulla eſſe poterit, ut qvi ab eo habent, qvicqvid poſſunt.* 2. Qvia *notanter Scriptura ipſum Principem aëris appellat, ac ſub cœlo malignos Spiritus vocat,* Luc. 22. verſ. 13. Epheſ. 2. v. 2. C. 6 v. 12. Coloſ. 1. v. 13. *Circum velut determinando, in qvo dominatum ſuum Sathanas exerceat,*

aërem,

aërem, tenebras, mundum sub cælo, &c. E. in cælestia, ubi mera lux & astrorum splendores, potestatem eum habere non verisimile. 3. Qvia *ne Angelis bonis qvidqvam juris in cælum & astra Philosophi attribuunt, ut* Thomas p. 1. q. 110. a. 2. Et p. 3. q. 13. a. 2. Et l. 3. co. gent. C. 108. Et qv. 16. d. malo, a. 8. Parisiensis p. 2. d. Vniverſ. Albertinus T. 1. q. 1. Cor. 2. Suaretz. d. 19. Meta. ſ. 1. n. 14. Et D. 43. ſ. 4. Et l. 4. in Thom. C. 35. 37. Tannerus p. 1. Th. Sch. d. 5. q. 5. d. 6. n. 1. V. Michael. t. 45. *Minùs dæmonib. id adſcribendum. Qvod autem Dæmones neqveunt, nec vim illud præstandi Lamijs suis communicare possunt.* 4. Qvia *DEI ordini & decreto constanter post diluvium fixo de non ruptâ dierum & noctium, frigoris & caloris, æstatis & hyemis, sementis & meßis, vicißitudine id contrariatur,* Gen. 8. v. 22. C. 9. v. 15. *Qvi ordo â cæli & astrorum motu ac influxu dependet, & multum immutationis timere cogeretur, si Dæmoni potestas turbandi aut inhibendi motum & influxum cælestium concessa esset.*

4. 5. Qvia *idem Patres & Philosophi docent.* V. Augustinum l. 15. d. C. Dei C. 4. Et Vivem in Comm. illius loci, & l. 3. d. Trin. C. 7. 8. 9. Tannerum c. l. Cigognam l. 3. C. 5. Alstedium l. 6. Encyclop. p. 3. C. 9. t. 5. Delrium l. 2. q. 11. Thomam, aliosq; *ante citatos.* Patres *nonnulli & ex* Hebr. 2. v. 5. *id probare solent, ut* Chrysostomus, Theophilactus, Thomas, Sasbout ap. Delr. q. 10. *Sed rectiùs de Novo Orbe Christiano per Christum reformato locus accipitur, ut se ipse Apostolus explicat, cum orbem futurum nominat.* Dices: Concessa est Dæmoni potestas in hominem, longè nobiliorem cœlis creaturam, *Deiq; in terris imaginem & vicarium. Cur in cælum ac astra & mo-*

& motum ea negata sit? Rℒ. Sæpè *potestas in nobiliora concessa, cum in ignobiliora negata sit. Sic Magi Pharaonis dracones producebant, qvi nobiliores,* C. 1. t. 2. *Sed ciniphes producere impediti non poterant, qvi ignobiliores. Dæmon autem in hominem vim nunqvam nactus esset, nisi homo Apostata factus esset.* Tùm in locum pœnæ *potestas morborum, brutorum, Dæmonum, in hominem concessa est, qvæ antea nulla aut ligata fuit.* Cœlum *autem nil peccavit, indeq; Sathan detrusus potestatem in illud perdidisse censeri debet. Licet etiam homo essentiâ ac naturâ sui nobilior cælo sit; Operandi tamen Universalitate, regularitate, essendi constantiâ ac diuturnitate cælum prævalet, qvod & incorruptibile corpus est, & ad Mundi statum influxu motuq; suo conservandum ac vegetandum ordinatum est, cujus motu turbato aut inhibito totum Mundi inferioris statum succuti aut flaccescere necessum sit. Qvod ne fieret, vim in cælum Dæmonibus nullam esse conveniens fuit. Homo & naturæ lege post lapsum interit, & ab ejus particulari statu turbatò non periculum totius mundi inferioris, ne convellatur, imminet.*

§. 2. An tota elementa loco & situ movere aut abolere, motum eorum, ut aëris, ignis, aqvæ, maris, inhibere, fluminum cursum in contrarium deflectere, fontes eorum exsiccare, terram velut ad cœlum attollere, & similia præstare possint? *Et hic sibi non minimum Magi adscribunt, & Magis Poëtæ per licentiam suam tribuere solent.* Horat. Epod. Od. 5. de Canidiâ, *Priusq; cælum sidet inferius mari, Tellure porrectâ super.* Tibullus l. 1. Eleg. 2. *Fluminis hac rapidi carmine vertit iter.* Empedocles ap. Laërtium l. 8. *Sursum, si libeat, mox flumina pigra ciebis, & mediâ induces ex tempestate serenum. Similia*

lia Lucanus, Claudianus, Ovidius, Seneca, Apulejus, alijq; t. 2. *citati habent.* Falſum & hoc, *ac præſtigijs oculos ſpectantium qvandoq; eludant Magi, ut terra cadere, flumina retrorsùm ad fontes ſuos decurrere, mare abſorberi, aër evaneſcere ac refugere, Vacuum in mundi ſtatu hiare, & ſimilia videantur, cum reverâ nihil eorum fiat. Tota enim Elementa immutare, flumina retrorsùm torqvere, & ſimilia, ad Ordinem Vniverſi pertinent, qvem nemo mutare queat, niſi qvi condidit, nec leges univerſi reſcindere, niſi qvi ratas fixit ac ſtatuit, qvi ſolus DEVS eſt. Nec Angelis bonis id tribui ſolet,* t. 3. *Minus Sathanæ & mancipijs ejus, Magis, id concedendum.*

6. Particularia tamen horum *beneficio Naturæ & auxiliorū ejus permittente DEO præſtare poſſunt, velut exempli causâ, partis alicujus in terrâ motum per cauſas naturales, ut immiſſo vehementi ſpiritu in terræ cavernas, aut aëre in terræ viſceribus incluſo vehementer agitato, Sathanas ciere, eoq; id Magis efficiendum conferre poteſt, ut &, ut particula aliqva maris è ſinu ſuo recedat, &* vel *cavernis terræ hauriatur,* vel *vento impulſum ad diverſa littora appellatur,* vel *occulto naturæ decurſu ad oppoſita littora flectatur, qvomodo â Belgis ad Anglos interdum, & viciſſim ab Anglis ad Belgarum littora majore aqvarum copiâ prolabitur, ut qvibusdam annis contigiſſe obſervatum eſt. Ita horribiles terræ motus in* Apuliâ, Brutijs, Campaniâ, Conſtantinopoli, Dyrrachij, Romæ, Antiochiæ, in Aſiâ, Pannoniâ, Illyrico, Dalmatiâ, Moraviâ, Bavariâ, *per Magos ac Sathanam excitati eſſe putantur.* V. Cigognam l. 3. C. 11. *Sub Valente per terræ motum abdita maris disjectis aqvis patuerunt, valles & montes antea non viſi ſole illuſtrati, ac naves ſuper tecta Alexan-*

dria violentiâ aqvarum translatæ sunt. Idem c. l. *In Calabriâ An. 1638. tantus terræ motus fuit, ut 80. Vrbes concussæ sint.* Scoglius p. 2. Chron. Mundi. *Vbi etiam dæmones impetum adaugere potuerunt.* Similiter *& partem aëris ventis concutere, venenatis halitib. inficere, tempestates medijs naturalib. in eo ciere, ignes per eum diffundere, ac segetibus & terris immittere, tenebris eum obfuscare possunt, ut* t. 9. *patebit.* Fluviorum partem etiam ad tempus sistere, fontes venis exsiccatis durare, aqvas dirimere & in caput repellere, *ut ita retrofluere videantur, etsi reverâ non retrofluant. Qvomodo* Plinius l. 2. C. 106. *sub Nerone simile qvid contigisse narrat. Scopulos & saxa novis fontibus è terrâ productis, ac alicubi, ubi intus latuerunt, foràs eductis diluere, & sic nova flumina velut conciliare.* Qvandoq; *& hic irritus eorum conatus est, & nec particulam terræ immutare qveunt. Sic* Eon Magus *in Concilio Remensi damnatus cum ad mortem duceretur, subinde ad terram repetijt, Terra findere, sed irrito conatu, ut ex* Roberto Delrius q. 8. l. 2. *adducit.*

7. 3. An tempestates, grandines, imbres, ventos, procellas, turbines, pruinas, nives, fulmina & fulgura, caligines aëris, serenitates, sterilitates, fructuositates, excitare, & excitata in agros aut loca, qvæ velint, immittere, & vicissim sedare qveant? *Classica hac inter Magicas Sagarum actiones est qvæstio*, & maxima Scriptorum pars in affirmantem *qvæsiti partem declinat, ac cum dæmonem vi propriâ, tùm Magum vi alienâ dæmonis nempè, id posse, concedit. Ex Theologis* Thomas q. 110. a. 4. Et. 2. sent. d. 7. 8. Augustinus, Isiodorus, Authores mallei maleficar. Sylvester, Niderus, Alphon. Castrensis, Ja-

qverius,

qverius. Ex JCtis Bartholus, Angelus, Azo, Godefridus, Bonifacius, Ananias, Grillandus, d. Sortileg. q. 6. C. 17. Molitor alijq; *ap.* Binsfeldium in Codic. d. malef. & Mathem. p. 491. seq. *Et* Delrium l. 5. s. 16. *id sentiunt.* Binsfeldius ipse c. l & d. sag. confess. Concl. 10. Tannerus T. 1. d. 5. q. 5. d. 4. Delrius l. 2. q. 11. & l. 5. c. l. Voetius p. 1. dis. 48. t. 20. Boisardus d. Magia C. 9. Pererius l. 1. d. Magia C. 6. Tholosanus l. 34. C. 13. & 21. Bodinus l. 2. Dæmon. C. 8. Et confut. Opin. Wieri, Remigius l. 1. dæmonolat. C. 25. Hildebrandus in Goetiâ p. 4. seq. Paracelsus d. malef. C. 4. Cigogna l. 3. Mag. C. 5. 6. Grosius p. 1. Magicor. p. 102. seq. 126. 138. seq. Stumpfius l. 2. de Zauberey C. 10. *alijq; idem censent.* Bodinus *omnes graviores tempestates â Dæmonibus cieri putat,* l. 2. Th. Nat. Et l. 2. Dæm. C. 8. *Et habetur apertè* Codic. d. Malef. & Math. *Ac gentiles qvidam consentiunt, ut* t. 14. *patebit.* Pauci tamen è Scriptoribus *sunt, qvi oppositum hic tenent, & tempestates divinæ potestati ac naturæ subjacere, non Dæmoni putant. Ita ex antiqvioribus* Seneca l. 4. Nat. qv. C. 7. *Rudis adhuc antiqvitas credebat, & attrahi imbres cantibus, & repelli. Qvorum nihil posse fieri tam palàm est, ut hujus rei causâ Nullius Philosophi schola intranda sit. Ex* Recentioribus Wierus l. 3. d. præst. C. 16. Et in Apolog. n. 1. Et lib. d. Lam. C. 12. Gœdelman. l. 2. C. 6. Et in Epistola ad aliqvem lib. 3. præmissâ. Althusius apud eundem *in admon. ad Iudicem sub finem* l. 1. Prætorius vel Stumpfius d. Zauber. C. 8. Lercheimer d. Zaub. C. 10. Cœl. Calgagninus, Pontzinibius ap. Delrium c. l.

8. Tertia Scriptorum pars *mediâ viâ hic incedit,*

& Dæmones qvidem aliqvid hic ut causas secundas & administras posse censent, sed nonnisi naturalibus mediis adhibitis, aut exhalationes fulminales cogentes, t. 9. *aut instantes tempestates, ut providi naturæ augures, prævidentes, ac tempus Sagis prædicentes, Sagas autem & Magos propriâ vi nihil hic posse, & vanas ceremonias ac ritus eorum ad effectus hos nihil conferre. Ita* Balduinus l. 3. cas. Consc. c. 5. q. 9. Et in C. 1. Hagg. par. 3. dub. 2. Sagittarius C. 1. Meta. d. 5. t. 1. Biermannus d. d. Mag. act. t. 49. Tannerus c. l. Et nos *olim in* disp. d. Mag. act. t. 24. 25. *secuti sumus. Et maximè probabiliter in hâc re tenetur. Pro qvo nota. I.* Distinguendum hic inter *dæmonum potentiam solam propriamq́, & alienæ junctam ac sociam. Si sola ea spectetur, qvid Dæmon se solo sine adjumento naturæ, naturalium mediorum, artis, permissionis divinæ, possit, certum est, tempestates eum excitare non posse.* Patet 1. Qvia *nunqvam sine nubibus, exhalationibus, vaporibus, halitibus, aëre compactiore, aliovè naturæ medio illæ excitari possunt. Materia enim earum nubes & halitus sunt, agitatio, impulsus, concursus, conflictus, incensio, resolutio earum, aut aëris compacti collisio, vel simile qvid pro formâ, ut in* Meteorologicis *docetur. E. ubi excitari à Sathanâ debent, nubes, vapores, halitus, & similia conglobari, committi, resolvi, aut aërem compactiorem collidi oportet, & sic naturam intercurrere oportet.* 2. Qvia *notanter Scriptura tempestates, tonitrua, ventos, pluvias, nubes, DEO adscribit, ejusq́ potestati ut principalis agentis subjicit.* Gen. 9. v. 14. Exod. 9. v. 23. Jos. 10. v. 11. Job. 36. v. 27. seq. C. 37. v. 3. seq. c. 38. v. 22. seq. C. 40. vers. 4. Psal. 29. v. 3. Psal. 135. v. 7. Jerem. 10. v. 13. c. 14. v. 22. Hagg. 2. v. 18. Zach. 10. v. 1. *E. Dæmon ex se & proprio*

talia educere non potest. 3. Qvia *nihil omninò sine permissione DEI potest.* C. 3. t. 1. 2. E. *nec in hoc negotio tempestatum excitandarum sine eâ pro proprio arbitrio aliqvid præstare poterit.* 4. Qvia *si ex propriâ vi pro lubitu talia Dæmon producere posset, periculum esset, ne magna mortalium pars jam fulmine aut tempestatibus excisa fuisset, cum generalis ac irreconciliabilis totius humani generis hostis sit, intentus in ejus insidias ad omne momentum, verusq; leo rugiens ac homicida ab initio*, C. 3. t. 18.

9. Si socia potestas dæmonis spectetur, *& qvid medijs naturæ adhibitis & permissu DEI accedente Sathan possit*, certum est, *tempestates eum producere posse.* Patet *1. Scripturâ. Sic in* historia Jobi *ignem de cælo procuravit, ventos vehementes in domum Iobi irruere fecit, qvi domum super filios filiasq; Iobi conjecerunt*, Job. 1. v. 16. 19. *Et in Apocalypsi qvatuor Angeli 4. ventos terræ tenuerunt, ne super terram flarent*, C. 7. v. 1. Et C. 16. v. 18. *Vnus Angelus phialam in aërem fudisse dicitur, factaq; esse tonitrua, fulgura, ac terræ motus. Vbi etsi omnia ea allegoricè intelligenda sint, aliudq; notetur sensu, qvàm verbis exprimatur: Sumi tamen allegoriæ solent ab ijs, qvæ fieri possint, ac interdùm soleant, ut ex Evangelicâ historiâ & allegorijs passim â Christo adductis patet. Imò princeps aëris, sub cælo in Caligine aëris dominari Sathan dicitur*, Eph. 6. v. 12. C. 2. v. 2. V. t. 3. E. *maximè ea, qvæ in aëre vigent, procurare poterit. Qvalia tempestates.* 2. Ratione. *Qvia Dæmones Causas secundas ad res efficiendas applicare possunt, ut ignem ad calefaciendum & comburendum, aqvam ad liqvefaciendum & frigidandum, aërem ad ventilandum & exsiccandum. E, & materiam vaporum & exhalationum vel productam*

ductam aliundè celerrimè adducere, & aliqvò immittere, vel ex cavernis terræ, aut montium recessibus, nitri, aqvæ calidæ, sulphuris, aluminis, bituminosæ materiæ copiâ eam de novo producere, ac ad eam aëris partem devehere, ubi caloris frigorisq́; vi in activitatem deducantur, sicq́; tempestates excitentur. Sagacissimi enim naturæ scrutatores sunt, qvi & summâ celeritate naturalia commovere, & singulari solertiâ ac artificio invicem commiscere, & materiarum motum promovere, disgregatas exhalationes validè congregare, concutere, in pernitiem hominum, ædificiorum, jumentorum, agrorum detorqvere, tempestates aggravare, aëris etiam confractu sine vaporum copiâ & sereno cælo fragorem tonitruo similem, & compulsu nimbos concitare, & similia agere possunt. Cur non & materias tempestatum aggregare, incendere, resolvere, in terram evibrare qveant? 3. Qvia *idem communis* Scholasticorum, Patrum, & Philosophorum *sententia de Angelis bonis & malis docet, ut* t. 7. *patuit.* 4. Qvia *exprimentis id interdum comprobatum est. Sic in Riphæis montib. spectrum est,* Rübenzabel/ *qvod â viatoribus lacessitum horribiles tempestates excitat, ut* dec. 2. Misc. d. 1. t. 23. *adductum. Huc & lacus, putei, specus, similiaq́; pertinent, qvæ rebus minimis eò injectis maximas tempestates concitant, ut antrum Smellen in Finnoniâ, Specus in Dalmatia, Lacus montis Canati in Hispaniâ, Scefagiola in Apennino, aliaq́; loca. Qvorum ratio aliundè peti neqvit, nisi ut dæmonib. istis in locis regnantibus ista adscribantur.*

10. Dices I. Scriptura *notanter DEO tempestates, nubes, pluvias adscribit,* t. 8. *Impium autem & idololatricum est, ea creaturis tribuere, qvæ Creatori tribui debent.* R. Tribuit *eas illi Scriptura, tanq. primo & supremo agenti, qvi*

ti, qvi ex propriâ & independente vi talia agat, ac Vniversali causæ, qvæ omnium motuum inferiorum causa est, Act. 17. v. 24. *Vnde cæteri dependent: Non auten Causas secundas ac intermedias reliqvas ob id excludit. Nam &* cœlo *interdum pluvias, grandines, adscribit,* Deut. 11. vers. 17. C. 28. v. 12. 23. Hose. 2. v. 21. *Sic & DEVS in sacris occidere & vivificare, percutere & sanare dicitur,* Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6. Tob. 13. v. 2. *Et tamen verè idem de creaturis, Sathanâ, homine, medicamento, alijs dicitur. Sic DEVS Spiritum hominis in homine formare,* Zach. 12. v. 1. *Et Corpora in utero præparare ac dare,* Job. 10. v. 10. C. 31. v. 15. 2. Macc. 7. v. 11. 22. *dicitur, & tamen mediantib. parentib. id fit, qvi animam propagant, & Corpora gestant ac formant.* V. Dec. 2. Misc. d. 4. t. 9. *Similiter DEVS occidisse pecora Ægyptiorum dicitur,* Exod. 9. v. 6. *Et tamen id per angelos malos factum explicatur,* Psal. 78. v. 50. *Sihon & Ogum reges percussisse,* Psal. 135. v. 11. *Sed per Mosen & Israëlitas,* Num. 21. v. 24. Deut. 2. v. 32. C. 3. v. 3. 2. Si dæmones *tempestates excitare possunt, metuendum, ne totũ humanum genus evertatur aut periclitetur, cum perpetui ejus hostes illi sint.* ℞. Si *potestate propriâ, independente, & pro lubitu arbitrij id possunt, tùm id metuendum. Sed potestate â DEO tantùm concessâ, ei subjectâ, ligatâ, & qvantùm DEVS permittit, id possunt, non ultrà,* t. 8. *Potestas Dæmonum sub potestate DEI, Christi, & fidelium est, eoq; restricta & particularis, non absoluta & universalis est.* 3. Concilium Braccarense *anathema illi dicit, qvi ullam Creaturam tempestates producere asserit.* V. C. 4. t. 14. ℞. Vel *Concilium illud authoritate caret,* V. c. l. Vel *de illis loqvitur, qvi propriâ authoritate & vi Creaturas talia producere*

posse

posse ajunt, q. prima principia, qvæ vim creandi obtineant, essent, & etiam DEO non permittente talia efficerent, qvæ impia & Priscilliano *Mago digna sunt. Hoc enim solius DEI est,* t. 8.

11. II. Distinguendum etiam inter Sagarum potestatem propriam, & alienam ac Sathanico pacto constantem. Propriâ *nihil hic efficere aut promovere possunt, qvomodo nullam homini in nubes & superiores aëris regiones potestatem ordinariè esse certũ est. Nisi fortè artificio aliqvo & arcano naturæ aliqvid hic moliantur, qvod interdũ fieri posse qvidam censent,* t. 14. *Et aliàs si ex proprio hic qvid possent, vel per ceremonias & ritus id possent, ut silices post tergum ad occidentem projicere, aqvam in scrobem fusam bacillo turbare, ova in pelvim aqvæ dejicere & agitare, scopas aqvâ intingere, & cœlum versùs spargere, & similes. At harum, ut qvantitatum aut actuum ceremonialium, ad effectum Physicum producendum nulla potest esse proportio & efficacia, ut in* Metaphysicis *docetur:* Vel *per verba & imprecationes, at horum etiam, ut qvantitatum, ad materialem effectum Physicum vis aliqva naturalis esse non potest, sed si qvid hic procedit, totum ex accidente, superstitione agentis, credulitate suscipientis, naturæ proprio robore, pacto Sathanæ, aut simili procedit:* Vel *deniq; per instrumenta aliqva, qvæ adhibent, urinam, aqvam, baculum, arenam. At horum etiam, si corporea sint, ad tempestates ciendas nulla est proportio: Si incorporea, ut verba, imprecationes, similiter nulla efficacia, ut antè visum. Et hoc modo rectè dicitur, ab homine ne unam aqvæ guttulam in nubibus gigni posse.* Alienâ & ex pacto cum Sathanâ aliqvid per eum possunt. *Illum enim invocant, ritus & ceremonias ab eo præscriptas adhibent,*

bent, pacto cum eo inito confidunt, & sic Sathanam ad agendum permovent, qvi vel *materias nubesq́ cogit, ventorum vi collidit,* aut *aëris confractione fragores etiam sereno cælo excitat:* vel prævisas *ex aëris constitutione, Planetarũ ac stellarum influxu, solis operatione, tempestates prænuntiat, & ad ritus ac ceremonias qvasdam justo tempore obeundas instigat, qvibus peractis, ubi effectus succedit, suis vanitatibus rem gestam Lamiæ adscribunt, quæ à Dæmonis concursu & procuratione dependent,* ut *&* t. 8. *dictũ, Ac de artificio & virtute suâ gloriantur parum integræ mentis aniculæ. Sic* Sathanas propriè est effector, Magus commotor & instigator.

12. Qvod probatur 1. Qvia Dæmones tempestates permissu DEI *& auxilio Naturæ excitare possunt,* t. 9. *E. & eorum ope ac fœdere Magi ad excitandas illas Sathanam commovere possunt, & sic qvadantenus ad productionem earum concurrere.* 2. Qvia *varijs & certis experimentis constat, Magos talia interdum produxisse. Sic* Herodotus *tempore Xerxis à Magis Thetij & Neridibus sacrificando ventos & tempestatem sedatam esse scribit,* l. 7. *De Finnonibus, Lappis, Biarmis, alijsq́ Septentrionalibus populis* Olaus M. l. 3. C. 16. *tradit, qvòd Mercatoribus ventos venales exhibeant, & tres nodos Magicâ arte sacratos offerant, qvorum primo soluto placidos, secundo vehementiores, tertio intensissimos experiantur.* Et C. 28. de Oddone piratâ Danico *refert, qvòd, ne cum hostibus in certamen navale descenderet, exasperatos fluctus & ventos ad naufragia infligenda producere solitus fuerit. Sic qvidam ex Islandiâ in Hispaniam proficiscens nodos Magicos accepit, qvos in mari solvens tantum ventum expertus est, ut biduo in Portugallia esset.* Lercheimer d. Zaub. C. 10. Itala qvædam venefica *in con-*

spectu Grillandi Inqvisitoris *scrobem unguibus extra portam effodit, aërios dæmones in auxilium invocavit, unde ex scrobe vapor crassus fumi specie emersit, qvi in nubem resolutus sonos boatusq; & tonitrua fulguribus permista protrusit, donec in locum petrosum ingente fragore, ignibus, turbine, grandine, & imbribus sine ulteriore damno nubes resoluta fuit.* Boisardus d. Magia, C. 9. *Apud Veteres pluvias per Magos evocatas esse freqventer narratur.* V. Pausaniam in Arcad. Dionem Cassium l. 56. *Qvi sub* Sidio Getâ *contra* Salabum *pugnante id contigisse tradit,* Xiphilinum in Antonino, aliosq;.

13. Cianitas Indos *per Magos suos ridiculo ritu pluvias evocare, & potione uti, nubes melle, aqvâ, maizo, aspergere, ex sene sudorem elicere, & in aërem spargere, eumq; ut pluviam largiatur, invocare, ex* Spitilli Epistolis Peruanis, Delrius q. 11. & Cigogna c. l. *narrant. In bello Romanorum cum Qvadis* Arnulphus *vel Arnuphis, ut alij vocant, Magus Ægyptius maximè fervente proelio horrendum imbrem excitavit, unde Qvadi in fugam acti.* Cigogn. c. l. Dion in Antonino. Similia C. 10 t. 3. *patebunt.* Lothildes *Maga tempestates & tonitrua qvando, ubi, & in qvos voluit, carminibus induxit.* Tholosan l. 34. C. 10. n. 4. *Anno 1553. duæ Veneficæ Berlini captæ sunt, qvæ glaciem ad perdendas fruges producere voluerunt, & infantem aliundè raptum ad ignem coxerunt. Sed interventu aliorum impeditæ, si coctio processisset, dixerunt, ingentem glaciem futuram, qvæ cunctas fruges perdidisset.* Gœdelman. l. 1. C. 7. n. 30. Manlius p. 36. Collect. *In Convivio Cardinalis cujusdam Magicæ mulieres tempestatem produxerunt, eaq; repressâ evanuerunt.* Idem c. l. Nauta *aliqvis Magus Zephy-*

ros

ros per Spiritum suum excitavit. Ericus *Gothorum Rex, qvoqvò pileum verteret, inde prosperum ventum eliciebat. Inde ventosus pileus dictus.* Cigogn. c. l. *In Ditione Trevirensi Rustici puella octennis pluviam de nubibus in condictum horti locum procuravit.* Alij *hoc in Sveciâ factum referunt. Vt* Grosius p. 1. Magicorum, p. 139. *Vel Sveviâ, ut* Sprengerus p. 2. q. 1. C. 13. *In bello* Ferdinandi *Neapolitani ad Marcum oppidum Impij qvidam Sacerdotes Magicis artibus imbres & tempestates ingentes elicuerunt, & aqvarum copiâ obsidionem oppidi solverunt.* Constantipolitani *Mariæ imaginem Magi suasu in mare demergentes Sarracenorum classi tempestatem immiserunt.* Tartari *Magi tenebras, tempestates, & serenitates producendi vi pollent.* Delrius c. l. Apollonius *apud Brachmannos in Indiâ dolia vidit, unde pro arbitratu pluvias & serenitates inducere potuerunt.* Zuinger. Vol. 5. l. 4. Anno 1588. *ingens tempestas in Episcopatu Constantiensi â duabus Sagis excitata est, ut ad 4. miliaria omnes fruges perierint.* Alia *in eadem ditione ingentem grandinem in rusticos nuptijs occupatos, ad qvas se non vocatam dolebat, immisit.* Bodinus l. 2. C. 8. Vbi plura. *Apud Delphicum templum terræ motus, fulgura, & tonitrua sub Brenno à Dæmonib. concitata.* Peucerus d. diu. f. 33. Gœdelman. l. 2. C. 6. n. 14. Corinthi *familia qvædam ex numero eorum fuit, qvi ἀνεμοκοῖται dicti, qvæ ventos sedabat.* Suidas in Verb. ἀνεμοκοῖται. Empedocles *Etesiis validè spirantibus frugesq; lædentibus asinos excoriari & utribus extensis ventos excipere jussit, sicq; eos sopivit.* Idem in Verb. Ἄπνευς. *Plura* Grosius c. l. p. 127. *habet.* Magorum civitas *intra Gangem nullis machinis & armis expugnari potuit, qvòd illi fulminibus in hostes immissis eos propellerent.* Philostra-

tus l. 2. d. vit. Apoll. Tolosan. l. 34. C. 10. *Lipsiæ puella aliqva non intelligens qva ageret, actiones nutricis, qvibus tempestates ciere solita erat, imitata, fulgura ac tonitrua excitavit, qvibus villa in viciniâ Urbis conflagravit.* Sennertus l. 6. Pract. p. 9. C. 5. *In Argentinensi tractu Saga aliqua in ipso carcere cum alia aqvam in pelvi digito commovisset, & ipsa Verba qvædam admurmurasset, statim in sylvam adjacentem tantam tempestatem & grandinem excitavit, ut à multis annis major ibi non visa fuerit.* Sprengerus p. 3. q. 16.

14. 3. Qvia *artificio qvodam naturali aliqvid pluvijs ac tempestatib. & tonitrubus, simile produci posse authores qvidam tradunt. Sic* Paracelsus d. Malef. C. 4. 5. *de salpetra tradit, qvod si cum aluminosa materiâ copiosè misceatur, & in terrâ accendatur, fumus gignatur, qvi in aëre nubem generet, in pluviam postea resolvendam.* Rogerius Baconus *arte & naturâ sine ullâ Magicâ tonitru naturali longè validius concitari posse scripsit. Artificiale tonitru ex pyrio pulvere & similibus paratur, item ex calce Martiâ & aureâ per aqvam Regiam paratâ.* Cosroës *Persarum Rex triclinium habuit, ex qvo instar veri tonitrui fulminavit & fulguravit.* V. Libavium dis. d. trib. qvæst. t. 9. *Salviam putrefactam in fontem certis modis conjectam mirabiles tempestates concitare* Albertus M. *de propriet: rerum tradit.* 4. Qvia *idem Confessiones Sagarum propriæ apud* Bodinum, Malleum maleficarum, Sprengerum, aliosq; *docent. Ubi autem ea de re possibili, Naturæ non adversâ, & potestati DEI non præjudiciosâ est, locum habere potest.* V. C. 4 t. 3. C. 6. t. 15. *Talis autem in præsenti negotio est.* 5. Qvia *idem* Patres, Jus Civile, Canonicum, & gentiles *qvidam docent. De Patribus* t. 7. *vide. In Legibus 12. Tab. lex est, ne qvis alienos*

nos fructus excantaßit, Et l. 53. *Qvi fruges excantaßit, pœnas dato. Neve alienam segetem pellexeris excantando, ne incantanto.* In Codice de Malef. & Mathem. Lib. 9. Tit. 18. le. 6. *dicitur, multos Magicis artibus usos elementa turbare, & vitam insontium turbare, qvos qvia natura peregrini sunt, feralis pestis absumat.* Conf. & le. 4. In Jure Canonico p. 2. Decr. Causa 26. q. 5. C. 14. *Magi permissu DEI elementa concutere dicuntur. Innocentius 8. Papa peculiarem bullam contra maleficos edidit, qvæ* T. 1. Mall. malef. *præmissa est, ubi eadem à Magis præstari posse asseritur. Ex Gentilibus* Cicero l. d. Republ. Plinius l. 28. N. H. C. 2. Et l. 30. C. 1. legem 12. Tab. *approbant.* Virgilius Eclog. 8. *Atq; Satas aliò vidi traducere messes.* Ovidius *idem ait.* V. t. 16.

15. Excipies cum Gœdelmanno & Wiero, *Authores 12. Tab. gentiles fuisse, qvib. apud Christianos non censentiendum. Si Christiani fuissent, & Scripturam cognitam habuissent, longè aliter sensissent. Lex* a. 6. d. *malef. ex communi hominum sententiâ & Magorum opinione loqvitur, qvâ ab illis talia præstari posse asseritur.* Lex 4. *ibidem à Leone Imp.* Nov. 65. *emendata ac antiqvata est, & totum Maleficorum ministerium impostura ac fallacia ab ipso nominatur.* ℞. Ex *eo, qvòd authores 12. tab. gentiles fuerint, non debet in totum authoritas illis abrogari. Lumine enim Naturæ, qvo talia à Magis ope Sathanæ præstari posse, & publicâ experientiâ, qvâ præstita esse docetur, nixi talia scripserunt. Qvæ autem gentilis lumine Naturæ nixus scribit, in illis assensum etiam apud Christianos reperire potest. Sic* Ethicam, Physicam, Politicam, & Mathematicam *doctrinam eorum recipimus, etsi gentiles fuerint, qvia luminis naturæ institutis*

consentaneam deprehendimus. Deinde *legem illam 12. tab. multi ex Christianis approbant. Vt* Augustinus l. 8. d. Civ. Dei. C. 19. Vives Comm. in h. l. Fr. Balduinus in leg. 12. Tab. Menochius, Bodinus, Tholosanus, Matthæus, Danæus ap. Binsfeld. in Cod. d. Malef. q. 4. *Ex gentilibus etiam nonnulli, ut* t. 14. *visum. Et Scripturæ consonat, quæ incantationes prohibet,* C. 1. t. 5. *Non autem prohiberet, nisi earum aliqva vis esset.* V. Psal. 58. v. 6. *Illam vim in solum hominem ferri incredibile, & experientiæ, ac DEI in hominem providentiæ contrarium est. In alia ergò ab homine etiam feretur, ut fruges, arbores, pecora.* Leg. 6. *de Maleficis ex communi opinione loqvi, verum eam dicere non impedit. Sæpè enim communis opinio vero consonat. Et hic qvidem experientiâ & exemplis testibus comprobatur.* t. 12. *In Novellâ verò Leonis 65. non incantamenta efficere aliqvid & nocere posse negatur, sed ijs prodesse posse tantùm negatur, eoq́ bonũ in finem incantationibus aliqvem uti severè prohibetur, & si qvis aliqvo modo illis usus esse deprehensus fuerit, sivè id restituendæ conservandævè valetudinis, s. avertendæ â rebus frugiferis calamitatis causâ fecerit, eum apostatarum pœnam subeuntem supremum supplicium sustinere debere constituitur. Nos, inqvit LEo, istiusmodi incantationes perniciosas esse persuasum habemus, & ut boni qvidqvam inde manare credamus, induci non possumus. Hæc verba legis sunt.* Jam Efficaciam *Magicis concedit, qvando perniciosas esse ait.* De hoc *nostra qvæstio est.* An *boni finis gratiâ ad avertendum aut curandum ea adhibere liceat, alterius qvæstionis est, quod & Nos negamus licitum esse.* V. C. 3. t. 9. Et C. 11. t. 6. *Olim, qvi calamitates agris per Magica averterent,* leg. 4. c. l. *non puniebantur. Sed jam supremum supplicium illis*

irro-

irrogatur. Hactenùs lex ista abrogata, non in eo, qvòd aliqvid Magos efficere posse affirmârit. Qvæ objici hic in contrariũ sententiæ nostræ possunt, ex t. 10. *explicationem habent.*

16. 4. An frugibus, agris, hortis, sylvis, nocere possint, fruges aut agros transferre, incantare, aut nocumenta ab illis avertere? *Omninò. Qvod & ratione naturali & experientiâ patet. Possunt enim â Dæmone impetrare, ut tempestatem in certa loca derivet, sicq́ certis agris & locis nocumenta inferat. Et qvandoq́ id eos fecisse exempla testantur.* V. t. 13. *Sic Nobiles qvidam in Pictonibus pulverem domib. ac segetib. iniecerunt, addentes, maledictio in istos fructus, in domum, &c. Et sic perierunt ea.* Bodinus l. 3. Dæm. c. 5. *Idemq́ gentiles confitentur, ut* Ovidius 3. amor. *Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam, deficiunt læsi carmine fontis aqvæ. Et qvomodo per Dæmonem nociva agris inferre, sic & eadem per eundem transferre, ab uno loco avertere, & in alium derivare possunt. Nulla enim hic impossibilitas, quò minùs Sathan tàm hoc, qvam illud possit, Et lamias eum super eo invocare etiam possibile est. Sic per Magos tempestas sub Xerxe sedata,* V. t. 1. *Apud Brachmanes dolia tempestatum & serenitatum fuerunt,* t. 13. *In* Novella 65. *id qvidem incredibile habetur, ut* t. 15. *visum: Nulla tamen ratio improbabilitatis apparet. Sic morbos interdum Magi sanant,* C. 9. t. 23. *Cur non tempestatem â loco particulari avertant?*

17. De translatione autem frugum & agrorum non minùs constat. Sic Virgilius: *Atq́ satas aliò &c.* V. t. 14. Tibullus l. 1. El. 8. *Cantus vicinis fruges traducit ab agris. Id apud gentiles Magicis effici posse certum habitum. C. Furius in parvo agello largiores fructus percipiens, qvasi fruges venefi-*

veneficijs aliundè pelliceat, â Sp. Albino accusatus est. Sed ipse vomeres, ligones, ferramenta, boves pastos & validam filiam ostendens, eaq; media, qvib. proventum colligeret, esse dicens, absolutus est. Plinius l. 18. C. 9. *Idem sub Nerone in agro Marucino Vectij Marcelli Eqvitis Romani & Cæsaris procuratoris universum olivetum viam publicam transgressum, & ipsa prædia è loco suo in contrarias sedes profecta esse scribit,* Lib. 17. C. 25. *Inde & Lex in 12. Tab. est: Alienam frugem ne pellicito. Idem paganâ lege inplerisq; Italiæ prædijs caveri tradit, ne mulieres per itinera ambulantes fusos torqveant, aut detectos ferant, qvod id omnium spei contrariari, inprimis frugum, credatur,* l. 28. C. 2. *Ita Saga qvædam per fistulam omne frumentum bonarij ex agro ad se traduxit, ut ex fistulâ in solarium caderet.* Delrius l. 3. p. 1. q. 4. s. 3. *Sic in Africâ familias esse,* Gellius l. 9. C. 4. *narrat, qvæ si impensius arbores, sata, fructus, pecudes, eqvos latiores, laudaverint, continuò ea emoriantur, nulli alij causæ obnoxia. Sic è mensâ Papæ Cibi & pocula ad Faustum traducta.* Histor. Fausti. p. 67. Dardanus *Magus, unde annonæ flagellatores Dardanarij appellati, tale inventum adhibuisse putatur, ut Magicis artibus alienos acervos in sua horrea traduxerit.* Turneb. l. 9. Adversar. C. 16.

18. 5. An & fertilitatem agris conciliare valeant? *Bloesis in Galliâ Anno 77. insignis Magus hoc Regi promisit, se effecturum, ut terra centenos fructus redderet, cum optimus Galliæ ager non plus duodenis adferat, Si decimam illi traderet.* Bodinus l. 3. C. 3. *Sed non accepta est â Rege conditio. Et si qvid Magi hic possunt, nonnisi medijs naturalibus â Sathanâ ostensis possunt. Ritibus suis aut Ceremonijs nihil efficient.*

De actionibus Magorum in bruta.

Thesis XVIII.

6. AN aerem & aqvam corrumpere, & lethalem ac tabificam reddere possint? *Omninò. Aqvam enim venenatis pulverib. infectis inficere, tetrum odorem ei conciliare, ac putredinem aliquam ei immittere possunt, unde piscibus exitiosa, & bibentib. ex eâ aut ad eam habitantibus, & halitus ex eâ exsurgentes attrahentibus, lethifera fieri potest. Quomodo* Avernus *Italiæ & mare mortuum in Iudæâ lethales aqvas fundunt.* Aër *similiter, qvia variarum mutationum facilimè capax, & ad resistendum debilis est, tetros odores & noxias exhalationes faciliter admittit, modoq́ frigidus, modò calidus, modò tepidus, humidus, siccus, existit, & uno die variè immutatur, eoq́ impressionibus Sagarum suscipiendis peridoneus est. Sic* Violæa *Saga retulit, se minutum pulverem â Dæmone traditum in aëre spargere solitam, unde erucæ, bruchi, locustæ, variaq́ satorum pestes copiosè enascerentur, & fruges læderent,* Remigius l. 1. C. 21 *Sic in Persiâ Magi, quacunq́ transiturus Rex erat, intolerandum fætorem in aëre excitârunt, quem â Comitibus Christianis Marutæ Mesopotamiæ Episcopi excitatū esse confinxerunt, ne rex gentilium impietate desertâ Christianam fidem susciperet. Sed deprehensi re cognitâ supplicio affecti sunt.* Nicephor. l. 14. hist. C. 18.

19. 7. An montes, sylvas, colles, vineta, arces, palatia, & similia in aëre ac terrâ in momento procreare & ostentare possint? *Solenne id Magis est, multa ac magna inter talia promittere. Quid interdum præstiterint, Experi-*

entia docuit. Possunt vi Dæmonis, montes, colles, sylvas, in particulari de locis suis in alia transferre, aliqvò ad homines adducere, sicq́; adducta oculis spectantium sistere, & ad tempus in viciniâ asservare. Particulam enim terræ Sathanas loco movere, & aliqvò transferre, cum DEVS permiserit, potest. t. 6. *Sic Vectij Marcelli olivetum Romæ publicam viam aliqvando supergressum, & in alium locum translatum est,* t. 17. *Ita apud* Juvenalem sat. 15. *Nam citiùs Scyllam vel concurrentia Saxa Cyanes, Plenos & tempestatibus utres Crediderim. Et Cyaneæ vel Cyaniæ insulæ vel scopuli sub Bosphoro Thracio â Poëtis inter se concurrere traduntur.* Flaccus l. 4. Argonaut. *Hic iter ad Ponti caput errantesq́; per altum Cyaneas, furor his medio concurrere Ponto. Qvæ* vel *commenta Poëtica,* vel *si veri qvid subest, effecta Magica & Sathanica esse necessum est, qvalia in terræ aliqvâ particulâ Sathanam præstare certum est.* Sæpiùs tamen & hic *meras oculorum præstigias excitari â Magis constat, ut moveri terræ videantur, non reverâ moveantur, palatia, arces, structuræ repræsententur, & reipsâ fumi ac apparentiæ sint, cum momento dispareant. Sic domus aurea alicui ostensa, qvæ post sterquilinium fuit,* C. 4. t. 19. *Faustus Principibus Anhaltinis egregias arces & palatia in aëre aliquando ostentavit, qvæ momento disparuerunt.* Hist. Fausti C. 44. *Simon Magus vasa domestica se locis transferre visus est.* C. 4. t. 19.

20. 8. An & in metalla ac mineralia aliqvid Magi possint, argentum è terræ visceribus eruere, homini suppeditare, pecuniæ materiam & formam verè producere, metalla inferiora, cuprum, ferrum, plumbum, æs, in superiora, ut aurum & argentum, verè transmutare,

abditos

abditos in terrâ thesauros invenire, ostendere, suppeditare? *Omninò id Sathanas potest, ut arcanus naturæ mystes, & consequenter Magis suppeditare, & per hos hominib. ostentare potest.* Mineralia, *ubi in terrâ maximè copiosè lateant, auri argentiq; venas, unionum & gemmarum latibula, optimè Sathan novit, Mago id commonstrare, & ut commodè eruantur, facere potest. Sic enim & per Virunculos suos montanos passim in Metallifodinis grassatur, & Metallurgis interdùm commodum, interdùm gravem se exhibet, ut* dec. 2. Misc. d. I. c. 23. *ostensum: Et thesauros in terrâ defossos magnam partem Sathanas per spectra aut Spiritus suos obsidet ac custodit, ut multa exempla docent. Sic propè* Devam *Transylvaniæ Vrbem thesaurus repertus, cui serpens aureus, ut custos appositus fuit. Quem rustici tandem repererunt.* Frothoni *Danorum Regi thesaurus â Magâ in Insulâ ostensus fuit, qui Draconem ejus custodem interemit.* Idem Fridlevo II. *Dano contigit, qui per quietem conspecti cujusdam monitu ad thesaurum effodiendum, quem Draco custodivit, incitatus est. In* Apuliâ *Magus aliquis Saracenus in statuâ, cui inscriptum, Calendis Maij caput aureum habebo, ex umbrâ ejus jactâ ingentem thesaurum reperit. In* Zudader *castro ingens thesaurus â Dæmonib. custoditus fuit, quem Christianorum precibus tandem Cabades Rex fugatis Diabolis occupavit, cum Magi & Iudæi nihil auxilij conferre potuissent.* Zuingerus Vol. 3. l. I.

21. Sæpè *tamen in his rebus meræ Sathanæ præstigiæ intercurrunt, quib. hominem dementat, & insidias ei struit. Sic* Ferrerio *Medico Tholosæ thesaurum in cellâ fodienti ingens turbo domum & viciniam concussit, & thesaurus â Sa-*

 thanâ

thanâ abreptus est. Magdeburgi *10. homines thesauris inhiantes turri obruti sunt.* Annæbergæ *in divite metallifodina 12. homines occisi, ut â specu desistere necessum fuerit.* Alijs *cistam effodientib. turbine ea rapta est, & muri parte decidente delumbati illi.* Noribergæ *aliqvis ruinâ domus extinctus:* Alij *spectri clamoribus abacti, & verberibus in domum usq; suam cæsi sunt.* Bodinus l. 3. C. 3. Grosius p. 1. Magic. p. 157. Apollonius *arte suâ thesauros qværere solitus. Sed nemo refert, qvidqvam eum consecutum, unde ditior evasisset.* Delrius l. 2. q. 12. Agrippa *Carolo V. thesaurorum spem per artem Magicam fecit. Sed aulâ & regnis Cæsaris exulare jussus est. Anno 1520. Basileæ Sartor qvidam specum ingressus in scrinio ferreo ingentes thesauros vidit, duob. molossis nigris custoditos, qvadam numismata inde retulit. Aliqvot annis post alius civis eam ingressus ossa humana tùm vidit, & intemperijs actus tertio die miserè exspiravit. Simile qvid de* Priore Margullano, Macriano, *& alijs* Cigogna l. 3. C. 11. *narrat.* Conf. Delrium q. 12. Transmutationes autem metallorum in aurum & argentum *Sathanam callere certum est, qvidam enim homines, ut* Villanovanus, Lullius, Baconus, Pharmacopola Tarvisinus, Sidonius, Anth. Boetius, Paracelsus, alijq; *sine dolo ac insidijs id potuerunt, ut in Chymicis & Physicis probatur. Non autem in naturalibus Sathanæ cognitio humanâ inferior, sed longè superior est: Eoq; & eam, si velit, verè Magos edocere potest. Et qvicqvid hic egerit,* auxilio naturæ, activa passivis applicando, *per modum naturalis ac artificiosæ productionis Sathan & Magus perficiet. Sic Francofurti ad Oderam puella fuit, quæ qvicqvid manibus corripuit, in argentum conver-*

convertit, qvod deinde devoravit. Aliqvando id ei abreptum, & ad principem missum est. Manlius Collect. p. 40. *Qvanqvam & hic Sathanas, ut pater mendacij, sapè præstigijs ludet, falsaq́ pro veris suppeditabit. Sic* Gallis *qvibusdam Chymicis laborare respondit, qvi omnem tandem substantiam furnis decoxerunt.* Bodinus c. l. *Et thesauros ac pecunias interdùm suis dedit, qvæ in fimum, scruta, aliaq́ immutata, vel evanuerunt.* V. C. 4. t. 19.

22. De pecuniæ materiâ *aut per Sathanam producendâ quidam dubitant, & fieri non posse censent, ut* Damhouderius in prompt. Moral. C. de pecuniæ vituper. Psellus c. d. coll. auri & virt. *nihil de promissis verè eum ex se præstare posse ait. Verum etsi sapè eum præstigijs hic ludere certum sit, ut* C. 4. *ostensum: Materiam tamen monetæ per naturam ejusq́ vim, & activa passivis convenienter applicando, verè eum producere posse, negari non debet.* Naturam enim adhibere, *applicare, intendere, juvare, contemperare, potest. Natura autem monetæ materiam verè producit. Qvidni per naturam id Sathan possit?* Forma *autem monetæ inscriptio & signatura est, qvæ merè artificialis est. At hanc etiam Sathanas præstare potest, & numisma aliqvod inscriptione ac imagine aliqvâ signare. Et monetam ergò veram producere potest.* Deindè *majora Sathan producere potest, mixta nempè viventia imperfecta, ut insecta, animalia ex putredine orta,* C. 8. t. 1. *Qvæ metallis sanè perfectiora. Cur non monetæ materiam, metallum promat, ubi potestate majore, DEI, non impeditur, ut apud Pharaonis Magos erat,* C. 7. t. 4. *Creatio autem talis productio non est, qvæ est rei ex nihilo aut materiâ naturalem potestatem vel*

habitudinem ad productum nullam habente divinâ Virtute facta productio, ut mundi ex nihilo, Adami ex terrâ, Evæ ex costâ Viri, per naturam enim ejusq; vim ista metallorum â Sathanâ productio fit, qva ad Creationem non ascendit, & in naturâ naturalis potestas, aptitudo, ac proportio ex tali materiâ ad talem formam est, qva in Creationis materiâ vel termino, unde ea fit, nulla est.

23. 9 An vacuum in naturâ rerum producere, infinitum actu facere, aliqvid propriè ex nihilo constituere, â privatione totali ad oppositum sibi habitum rem proferre, Ordinem formarum ac dispositionum naturalium immutare, aut similia præstare possint? Non, *qvia talia partìm ad ordinem Universi pertinent, qvem pro lubitu Dæmon aut Magus immutare non possunt*, t. 3.4. Partìm *naturæ statum convellunt, & ab eo non admittuntur, ut vacuũ & aliud â DEO infinitum:* Partìm *vim finitam superant, & infinitam nullisq; limitibus constrictam reqvirunt, ut creare, habitus privatis verè ac plenè restituere. Dæmonum autem potestas omnis restricta & sub potestate DEI est,* t. 10. Partìm *miraculosam effectionem præsupponunt, qvæ propriè dicta in Dæmonum potestate non est, ut in* Pnevmaticis *docetur. Ita nec ex qvalibet re naturali qvamlibet facere possunt, non enim nisi per aptas dispositiones præcedentes id fit, at harum ad qvidvis non qvævis res capax est, sic ex muscâ nunqvam fiet homo:* nec *qvovis instrumento vel causa qvemvis effectũ gignere, qvia* nec *qvodvis agens ad omnem effectum est indifferens, ita ignis nunqvam frigefaciet, sed certam proportionem reqvirit:* nec *Dæmonum aut Magorum potestas illimitata est:* nec *momento rem producere, mutationes enim*

creato-

creatorum tempus ad alterationes varias prærequirunt, nec *æquali tempore quasu isres efficere, quia una ad plures ac perfectiores dispositiones longè plus temporis & moræ requirit, quàm alia, quæ paucioribus absolvi potest,* nec *extrema prætermissis medijs, aut posteriora ante priora vel contrà producere,* nec *corpus ad extremum non transmisso medio transferre, vel ultra justum â se distans loco movere,* nec *in momento aut quantâvis celeritate, per vacuum aut quamvis intercapedinem aliquid proferre,* nec *universi conservationem aut partium connexionem & subordinationem tollere aut impedire,* nec *agentis naturalis omnib. ad agendum requisitis instructi actiones proximè & immediatè impedire, ut DEUS in igne & martyrijs illoesos servando fecit: Sed si quid hic agunt, mediantib: naturalibus contrarijs aut artificiosis agunt, quomodo adamas magnetem â ferro trahendo sistit, & alia igni, calori, frigori, ambustioni resistunt,* V. Dec.1. Misc. d.2. t. 22. d. 3. t. 25. Dec. 2. d. 7. t. 13. 20. *Ita apud Ethnicos factum, ut capilli flammis non urerentur, ut Ser. Tulli, Iulij, Marcij & alia,* V. Plin. l. 2. C. 107. *Quanquam & fatuus ignis esse potuit, ut in* Physicis *docetur.*

CAPUT VIII.

De actionibus Magorum in Corpora sensata, ut animalia, & primò quidem in bruta.

ITa & *actiones externæ Magorum* in Corpora insensata, *qualia Cœlum, astra, Elementa, aër, terra, aqua, fruges, gramina, arbores, fructusq; earum, directa*

recta fuerunt. Seqvuntur, qvæ in Corpora sensu prædita ferri dicuntur. Hæ vel in animalia bruta, vel rationalia ferri possunt. Bruta, *qvæ animâ sensitivâ materiali â materiâ in fieri, esse, & operari pendente, bestiali ac rationis experte, constituuntur, eoq; rationis propriè dicta aut verè rationalium operationum capaces non sunt. Tales sunt* brutorum procreatio, immutatio, ad supernaturales ipsis actus conformatio, incantatio, fascinatio, Emaciatio, s. tabificatio, Emulsio, Interemptio, resuscitatio, *& similia. Vbi qværitur* I. An Magi erucas, bruchos, papiliones, muscas, ranas, mures, lumbricos, & similia animalcula producere possint? *Immediatè ea nec per se, nec per Dæmonem producere possunt. Magorum enim potentia hic aliena est, & Sathanæ vi agunt. Sathan autem materialia per seipsum producere aut alterare neqvit, qvia incorporeus est: Materialia autem & eorum formæ è potentijs materiarum per dispositiones materiales sunt educendæ, & mediatè per Dæmonē aliqvid Magi hic præstare possunt. Sed Dæmonem hic naturam adhibere, & activa passivis applicare, fovere, ac servare oportet, secùs nihil producet: Vi propriâ & â se ipsis nihil eorum possunt. In se & ex sese Diabolus animasticè nihil generare potest.* C. 5. t. 8. seq. *Ex competente tamen materiâ naturæ & spiritus Vniversi beneficio media adhibendo, & activa passivis convenienter admovendo, cæteraq; necessaria elaborando, producere naturalia potest, qvæ natura ipsa per media & spiritum suum producere solet. Perspicacissimus enim Naturæ Mystes est, & sic qvæ natura in his potest, & ipse assimilando exprimere valet. Ac quod Sathanas hic præstare potest, & Sagis Magisq; suis præstandi potestatem concedere potest.*

2. Et

2. *Et patet* 1. Qvia *potestatem Sathanæ id non transcendit. E. nec à Magis alienum est, ut ista præstent.* 2. Qvia *exempla dantur, qvib. ab Magis præstitum esse docetur. Sic in sacris Magi dracones & ranas produxerunt,* Exod. 7. 8. *In profanis* Alexia Violæa *erucas aliaq́ produxit*, t. 18. Hoselicia, Drigæa, Boncuriana, Gerhardina, *se magnam murium copiam non semel in agris excitasse fassa sunt, qvi fruges corroserint.* Porelia *se sæpius in jumenta æstrum immisisse fassa est, unde continuatis aculeis ea tandem interimerentur. In horto Welsch Antonij ingens camporum ac limacum copia per Magos ibi aliqvando congregatos exorta est, qvà undiq́ horti area depasta est.* Remigius l. 1. C. 21. *Interdùm magna murium copia in aërem sublata instar pluviæ decidit, & collisa est, ut in Maronite montis jugo, & in Norvegiâ, Helsingiâ, ac vicinis locis bestiolæ qvadrupedes Lemmar dictæ, per repentinos imbres à cælo deciderunt, qvæ omnia virentia destruxerunt, & qvæ morsu contigerunt, emortua sunt.* Zuing. Vol. 23. l. 2. *Qvæ per Magos qvandoq́ procurari putantur. Hoc modo & anseres imperfectiores Magi per Sathanam producere possint, qvi ex arborum fructib. in mare decidentib. & putrescentibus, vel lignis navium putridis gigni putantur, ut in Scotiâ & apud Hebridum incolas contingere dicitur, de qvo in* Physicis. *In qvibusdam regni Neapolitani locis cum fœminæ enituntur, puero nascituro unus vel plures ranunculi vel rubetulæ praeunt, qvæ si terram contingant, puerperam emori necesse est. Qvare solum storeis insternunt, parietes aulæis convestiunt, in lebetes aqvâ plenos recondunt, ne in terram decidant, ut ex* Torqvemada Delrius l. 2. q. 7. *narrat.* 3. Qvia *idem* Patres & Scholastici *docent.* V. Augustin.

gustin. 3. d. Trinit. C. 7. 9. Thomam p. 1. q. 114. a. 4. Bonaventur. 2. sent. d. 7. Alensem p. 2. q. 43. Lombardum l. 2. d. 7. aliosq;.

3. 2. An & perfecta animalia, ut boves, eqvos, canes, & qvæ nonnisi ex suæ speciei semine proveniunt, pro lubitu producere possint? Non, *qvia* partim *talia nonnisi ex suo semine varijs alterationibus per justum tempus elaborato nascuntur, qvæ produci non possunt, nisi apparatu materiæ & organorum satis copioso & disposito existente*: Partim *in perfectis istis substantijs DEUS vim suam & sapientiam ostendere voluit, nec similia præstare, aut ad analogiam Creationis ascendere Sathanæ concessit, unde DEUS ipse de talium brutorum conformatione magnificè gloriatur, qvod nulla Creaturarum in eo ei par esse possit*, Job. 30. 40. 41. Partim *Sathanæ potestas restricta, & ad certum circum determinata, non infinita & ad omne factibile extensa est, qvalis DEI est. Nam nec pediculos producere potuit*, Exod 8. V. C. 3. t. 1. *Nec animaliter generare potest*, C. 5. t. 8. *Aut homines in bruta substantialiter transmutare*, C. 6. t. 3. 4. *Aut Iobi bonis pro lubitu nocere, porcos ingredi, Achabum decipere potuit, nisi qvantum à superiore DEI potestate ipsi indultum fuit*. V. C. 3. t. 2. *Si qvid in oppositum Magi hic glorientur, vana jactantia est. Si qvid præstare videantur, meræ præstigiæ & elusiones sunt, & qvæ non sunt, esse extrinsecus apparent*. V. C. 4. t. 19.

4. 3. An animalia ex unâ specie in aliam verè & substantialiter transmutare possint? Perfecta *animalia, ut bovem, leonem, asinum, non, forma enim horum ad certam materiam ac apparatum organorum est determinata, extra*

qvam

qvam esse aut subsistere non potest, nec natura in his species variare solet. Conf. C. 6. t. 3. seq. Imperfecta, *ut insecta, Scarabeos, nonnisi per naturam ejusq́ dispositiones materiales, qvibus ipsa natura imperfectas istas species interdum variare solet,* C. l. t. 14. *immutare possunt, qvas maturare, juvare, & accelerare Sathanas â Magis invocatus potest, eoq́ & per Magos talia immutare potest. Qvanqvam* & hic sæpè præstigiosa *intercurrere certum sit, ut immutari videantur, qvæ celeriter subducta, & alia eorum loco substituta sunt, qvomodo de baculis in dracones â Magis Pharaonis versis qvidam sentiunt,* C. 1. t. 2. 4. An ad mirabiles actus & naturas brutorum transcendentes bruta aut inanimata, vel cadavera eorumvè partes conformare possint? Omninò. *Nam & vires, robur, sagacitatem, velocitatem, agilitatem, ultra naturas eorum brutu Sathan conciliare potest, ut earum beneficio mirabilia perficiant, & qvæ naturales eorum vires aliàs multùm superent: Et ipse Sathanas bruti speciem assumere potest, ac in ea in gratiam Magorum ac jussu eorum mirabilia exercere, ut Magorum industriæ solertia ista adscribi videatur: Et exempla in promptu sunt, qvomodo bruta Magicis impulsibus acta miros effectus ediderint. Simiam enim DEI agit Diabolus, ejusq́ acta assimilat,* C. 3. t. 19. Itaq; *qvomodo DEUS bruta interdùm ad mirabiles actus instruxit, ut Bileami asinam ad humanum sermonem,* Num. 22. *Balænam ad deglutiendum & iterùm revomendum Ionam,* Jon. 2. *Corvos ad invocandum DEUM,* Job. 39. v. 3. *Et cibandum Eliam,* 1. Reg. 17. v. 4. 6. *Sic & Sathan per bruta similia agere ac ostentare cupit.*

5. *Ita serpentem ad disserendum cum Evâ conformavit,*

vit, Gen. 3. *Geminæ columbæ Dodonis loqvaces fuerunt*, *qvercus Dodonæa responsa edidit*, Apollonius *Thyaneus ab Ulmo apud Gymnosophistas salutatus est*, *Pythagoras â Causo fluvio verbis compellatus*, *salve Pythagora. Simonis Magi Canis voce humanâ usus est.* Cigogna l. 4. C. 6. *Simulacrum Fortunæ Romæ bis locutum fuit, ritè Matronas se vidisse & dedicasse.* Valer. M. l. 1. C. 8. Halicarnaff. l. 8. p. 617. *Iunonis Monetæ simulacrum velle se Romam migrare respondit.* Valer. c. l. *Sub Volumnio Romæ bos mugitu in humanum sermonem converso audientes exterruit. Infans semestris in foro boario triumphum proclamavit. In bello Punico 2. bos Domitio dixit, Cave tibi Roma.* Valer. c. l. C. 6. *Sub Bochoride Ægyptio agnus locutus.* Alsted. in histor. *Sagæ cujusdam Franciscæ Senensis canis locutus.* Grilland. q. 7. *Theotechnus Magus Antiochiæ simulacrum Iovis oracula fundere fecit*, Eusebius l. 9 hist. Eccles. Cyrillus l. 3. c. Julian. Interdum Sathan ipse *bruti specie assumptâ mirabilia patrat. Ut Wagneri Magi simia, qvæ Navem onerariam motu celerrimo adverso Danubio traxit, qvam octo eqvi difficulter movere potuerunt. Tibiis cantavit instar periti Musici. Saltationes artificiosas explicuit, testudinem pulsavit, aliaq; artificiosa exhibuit, Captum simiæ multum superantia.* Hist. Wagneri lit. E. 4. Et G. 6. Magdeburgensis aliqvis Magus *eqvulum habuit, qvem per circulum transilientem ostentavit. Postea se in cœlum ascensurum dicens, in altum projecto fune statim eqvulus consecutus est, cujus caudam tenens Magus & ipse in sublime tractus est.* Gœdelman. l. 1. d. lam. C. 3. *Cygnus aliqvis argenteâ catenâ navem in Rheno traxit, ex qvâ peregrinus miles in terram exsiliit.* Wierus l. 2.

C. 46.

C. 46. *Bizantij agyrtæ cujusdam canis divites, pauperes, maritatas, viduas, meretrices, agnoscere potuit. Alius canis cæcus scortatores, adulteros, avaros, varios circulos, monetas agnovit, unde pythonis spiritum habere creditus est.* Camerar. C. 1. C. 24. Grosius p. 1. Magic. p. 123. Beyerling. Poly. V. Canis. *Sic asinum qvendam Cairi mirabilia patrasse* Bellonius l. 5. *Observ. refert, qvæ â Magistro dicerentur, rectè accepisse, pulcherrimas mulieres agnovisse, super hordeo adferendo exultasse, & similia. Epidaurius serpens qvàm mira in itinere Romano patrârit, apud* Valerium M. l. 1. C. 8. *describitur.*

6. 5. An & brutorum voces, garritus, Magi intelligere qveant? De Apollonio *id tradit* Philostratus, *qvòd hirundinum ac passerum garritus intellexerit, eosq; asinum ad portam frumentum dispersisse dicere notârit. Eadem de* Melampo ac Tiresiâ *Veteres fabulati sunt. Sed bestiæ cum ratione careant, ut* in Physicis *docetur, etiam alijs aliqvid indicare non possunt, qvod opus rationis est, eoq; nec talia Magi intelligunt, & si qvid hic resciscant, Sathanâ suggerente rescis cunt, ut de frumento sparto, non qvòd aves invicem id indicent, aut indicari Magi intelligant. Affectum & appetitum Corporis per signa exteriora, vultum, voces, modos earum, deprehendere homines possunt. Hæc & Sathan novit, & suos, si velit, edocere potest. An unqvam præstiterit, incertum est.* 6. An intelligentiam discursivam brutis largiri qveant? *Non. Hæc enim non sine ratione, & hæc non sine imagine DEI ejusvè ruderibus,* C. 6. t. 6. *est, quæ in brutis non locum habet, sed soli homini propria sunt, ut in Physicis docetur.* 7. An incantare bruta, illis nocere, eaq;

 interi-

interimere poſſint? Incantatio eſt actus Magicus, qvo vel Scripturę abuſu, vel blaſphemis â Sathanâ hauſtis verbis, vel characteribus, rebus, aut ceremonijs adhibitis, animalibus noxa infertur, Mago ex pacto cum dæmone, qvod habet, operante. *Vnde Incantatores*, Epodi, C. 1. t. 14. *Poſſe id Magos patet* 1. Scripturâ, *qvæ incantationum ac incantatorum meminit, ut cum Magos Ægyptios incantationibus ſimilia Moſi feciſſe tradit*, □ בְּלַהֲטֵיהֶם Exod. 7. v. 11. 12. C. 8. v. 7 18. *Vbi* □ לַהֲטִים *propriè incantationes notat, & cum ſerpentem aures obturare ait, ne voces incantatoris percipiat*, Pſal. 58. v. 5. 6. □ מְלַחֲשִׁים, *Vbi* לְחֵשׁ *muſſitare & incantare eſt. Item cum ſerpentes Deum immiſſurum minatur, qvi non incantari poſſint, adeoq́ â qvorum morſibus illi nec præmuniri, nec ſanari poſſint.* Jerem. 8. v. 17. *Vbi* לָחַשׁ *iterùm eſt. Cur autem ſerpentes freqventiùs, qvàm alia eſſe bruta, incantentur, in Phyſicis docetur.* 2. Naturâ. *Qvia affectus malignus per murmurationes aut ceremonias Magorum â Sathanâ pecoribus immitti, poteſtatem Sathanæ non ſuperat, ſed ei ſubjacet, ſi DEVS permittat. Qvid enim eum hic impediret? At hoc ipſum eſt incantare.* 3. Experientiâ, *qvâ Magos in pecoribus alijsq́ rebus ſæpè id præſtitiſſe conſtat. Sic Saltzburgi Incantator aliqvis omnes ſerpentes in confinio ad ſe in foveam adducere & interimere voluit. Sed ab uno ingenti ſerpente in foveam tractus ac interemptus eſt.* Bodinus l. 2. C. 2. Goëd. c. l. C. 6. *Ita Serenus Medicus ad hæmitritem morbum incantationem recenſet. Inſcribis Chartæ, qvod dicitur abacadabra, &c. Et* Ammianus Marcellinus *incantamentum ad odontalgiam leniendam ad Medicinam pertinere refert.* Tholoſan. l. 34. C. 9.

7. Druida

7. *Druidæ ovum anguium certis ceremonijs suo tempore incantârunt, cui magnam vim ad multos effectus tribuerunt.* Idem C. 10. *Amatoria incantamentis induci posse constat,* V. C. 10. t. 4. *In Circensib. ludis velocitatem eqvis suis, adversariorum tarditatem & torporem inducere solent.* Arnobius l. 1. co. gent. Cassiodorus l. 3. Ep. 51. *Crocodilos â piscatoribus incantari solere ex* Villemontio Delrius q. 13. *tradit. Tentyritas Crocodilis innoxiè ineqvitare* Plinius *docet. Harcalo leones impunè attrectavit. Vmbro hydros sopivit. Pythagoras feram & grandem ursam, ut & bovem, placidißimos reddidit.* Beyerling. Vo. Miracul. p. 549. *In Thessaliâ Malefica fuit, qvæ Basiliscum incantavit.* Aristoteles l. d. mirab. audit. *circa finem.* Grillandus *Romæ se Magum vidisse* q. 8. *ait, qvi solis verbis ferocißimum taurum compresserit, ut chordâ debili ligatum per aliqvot milliaria mediâ nocte circumduxerit. Sed pactum Sathanæ hic intercessit, qvi taurum cicuravit. Ad incantationem enim, ut tesseram pacti cum Mago, genius advolat, & bruta exarmat, sedat, enecat. Solorum verborum vis tanta esse non potest. Et hoc modo* Hilarius in Psal. 57. *fabulas de Marsis & similib. putat, qvasi vi carminis talia contingant, ut Vulgus putat. Brachmanes in Indiâ balænas per diem incantârunt, ne noxas inferrent.* Venetus l. 3. rer. Orient. C. 23. Grosius p. 1. Magicor. p. 104. *In Vrbe Parisiensi glires incantati, ne ibi essent, aut nocerent, & glis areus sub cuniculo pontis defossus fuit. Qvo ablato glires extra numerum ibi grassati.* Tholosan. l. 34. C. 18. n. 4. *Interdùm Canes incantant Magi, ne latrent, homines, ne clament, naves, ne ullo vento portum excedant, molendina, ne ullo impetu volvantur, aves,*

ne

ne volent, & similia. Goëdelm. l. 1. C. 6. 4. Authoritatibus Christianorum & gentilium. *Ex Christianis* Hieronymus, Basilius, Augustinus, Arnobius, Theodoretus, Beda, Euthymius in Psal. 58. Nemesianus Ecl. 4. *cantavit, qvod luna timet, qvo rumpitur angvis, qvo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbor.* Manilius l. 5. *Non inimica facit serpentem membra creatis accipient sinibusq́ suis peploq́ fluenti. Ex Gentilibus* Virgil. Ecl. 8. *Frigidus in pratis cantando rumpitur angvis, &* alij *idem attestantur. Similia apud* Silium Italicum, Petronium in sat. Lucanum l. 6. Tibullum l. 1. Ele. 8. Senecam Mede. act. 4. aliosq́; *videas.*

§. 8. An & fascinare bruta possint? *Fascinatio propriè loqvendo, (generaliter enim qvamvis gravem deceptionem & dementationem notat, quomodo per translationem* Sap. 4. v. 12. & Gal. 3. v. 1. *sumitur, & qvomodo præstigia sensuum fascinationes vocantur,)* est actus Magicus, qvo invidè aspiciente aut dilaudante aliqvem Mago, Dæmon ex pacto cum eo occultè modo sibi cognito lædit id, qvod fascinari appellatur. *Dicitur etiam invulvatio. German.* Versprechen. *A fando qvidam deducunt. Sed rectiùs à Græco* βασκαίνω, *invideo, deducitur, qvod invidi inprimis alijs adspectu nocere credantur. Non jam de* fascino vulgari, *qvod apud Poetas & vulgum obtinet, vel* Medico, *qvod à Corpore venenato per occultum defluvium ad alium defertur, & naturale est, ac ad morbos venenatos & contagiosos pertinet, nec læsum propriè fascinatum, sed venenatum facit, qværitur,* sed Magico, qvod ex pacto cum Sathanâ à Mago in alium derivatur. *Competere id Magis*

patet

patet 1. Ratione, *qvia Dæmonis poteſtatem id non tranſcendit, ſed ei ſubjacet, lædere aliqvid laudante vel intuente id Mago. E. & per Magum præſtare poteſt.* 2. Experientiâ, *qvia pecora, agnos, hædos, arbores, eqvos, inprimis pueros,* V. C. 9. t. 25. *interdùm ita emaciare ac perdere eos compertum eſt.* *Sic apud* Virgil. — *Neſcio, qvis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Et apud* Valleſium C. 68. ſa. *Ph. gallinas, agnos, eqvos faſcinatos aliqvando cecidiſſe feruntur. Sic* Hieronym. Vida l. 2. bombyc. *in Tuſcia ſenem ſe vidiſſe refert, qvi tenui obtutu genus omne necabat, Reptantum, teneras animas parvasq́ volantes. Hortũ ingreſſus, ubi annus ver reduxit, ille hortis ſtragem dedit, arboribusq́ ruinam, Spemq́ anni agricolæ mæſti flevêre caducam. Ita* Vetula *fuit, qva nobilis mulieris ventrem blandiens tetigit, magnamq́ alterationem illa ſenſit, ac fœtum fruſtillatim cum vitæ periculo poſtea ejecit.* Alia *graves dolores ex vetulæ contactu ſenſit, & ſpinas, oſſa, ligna, aliaq́ alvum excernendo ejecit.* Sennertus p. 6. Pract. Med. l. 9. C. 1. 3. Authoritatibus. *Qvia partìm Scriptura ejus meminit, ut ante dictum: Partìm Gentiles, ut* Virgil. c. l. *Item* Ecl. 7. *Aut ſi ultra placitum laudârint, Baccare frontem cingite, ne fati noceat mala lingva futuro. Sic Veteres contra faſcinum ter deſpuebant. Vt* Theocritus. *Sic* Tibullus l. 1. el. 2. *Hunc invenis turba circumſtetit arcta, deſpuit in molles & ſibi qvisq́ ſinus. Ita apud* Theophraſtum l. de Characteriſmis, Ariſtotelem in problematib. ſ. 20. Plinium l. 26. nat. hiſt. C. 10. & l. 28. C. 4. 8. Et l. 3. C. 4. *qvædam de faſcino occurrunt.* Idem de *Triballis & Illyrijs, ac qvibusdam familijs in Africa* l. 7. C. 2. *tradit, qvòd viſu, voce, laudatione, infantes, arbores,*

aliaq; interimant vel lædant. Sic Vairus *libros de fascino scripsit, & apud Medicos in morborum generibus fascinum enarratur, ac qvoddam Magicum agnoscitur.* V. Sennert. c. l.

9. Dices 1. Si fascinatio est, E. solus aspectus vetulæ nocere & interimere poterit. ℞. Non seqvitur, *Visio enim recipiendo fit, non emittendo. Et rectiùs* pacto Sathanico *totum id adscribitur, qvi malam qvalitatem per aërem circumstantem diffundit, qvam animal respirando per cordis arterias ad cor attrahit, unde labes & tabes toti corpori communicatur.* 2. Sic solis verbis aut solo attactu noceri poterit à Mago alijs, qvod C. 7. t. 11. Et C. 9. t. 26. *negatum.* ℞. Etiam non, *sed Dæmon ex pacto hic lædit.* Rectè Scaliger ex. 349. Nec verum est, ab homine homini noceri posse verbis. Nam qvis illa eum verba docuit? Non homo alius, non cœlestis Intelligentia, nam qvis eam facere audeat authorem fascini? E. malus Dæmon. Non ut hominem faceret potentiorem: sed ut ipsum deciperet credulitate, ac socium haberet tùm impietatis, tùm æterni exitij. *Hoc modo communiter fascinum, qvod solo oculo aut verbis & contactu perficiatur, ut fabulosum & superstitiosum delirium à prudentibus rejicitur,* Vairo, Ananià, Vallesio, c. l. Basilio M. homil. d. invid. Sennerto c. l. Delrio l. 3. q. 4. p. 1. alijsq;. *Qvæ* Plinius & Gellius *de qvibusdam hic narrant,* C. 9. c. l. *videbuntur.* Qvæ *de contactu dicuntur, ea per venenata effluvia perficiuntur, & sic ad venenatos morbos pertinent, qvos Magos inferre posse certum est,* t. 10. 11.

10. 9. An & emaciare bruta qveant? Eodem *modo, qvo fascinando interimere, & emaciare, ac tabificâ lue*

per

per dæmonem ex pacto lædentem inficere brutum possunt. V. t. 8. *Sed non solius aspectus aut verborum hæc vis est, sed Dæmonis & Magi, veneficio aliovè modo affrictæ, ut* c. I. *dictum.* 10. An lac mammis vaccarum, caprarum, aliorumq; extrahere & emulgere qveant? *Per Dæmonem omninò id possunt, qvamvis ridiculæ ipsorum Magorum ceremoniæ nullius hic efficaciæ. Estq; hæc praxis apud striges satis freqvens & decantata. Nec potestate Dæmonis id superius est, & experientiâ comprobatur. Sic in* Trevirensi ditione *Saga combusta, qvæ ex pariete per epistomium lac venditũ mulsisse solitam se fassa est.* Romæ *duæ maleficæ matres lacte desiccando multos pecudum fœtus abortando perire fecerunt.* Alia *lac vaccæ vicini impedire volens cultro ad ostium domus, in qvâ vacca, perrexit, ac versus aliqvos demurmuravit. Sed ab hero vaccæ fustib. egregiè dedolata fuit.* Delrius l. 3. p. 1. q. 4. l. 3. *Interdùm cultrum aliudvè in parietem infigunt, manus ad mulgendum componunt, Sathanam invocant, & hic lac abripit, ac de Sagæ instrumento defluere facit. Interdùm herbis, verbis, attactu, lacte, armenta ac pecora, qvæ lubet, privant.* V. Sprengerum p. 2. C. 14. *Interdùm lactis receptacula ac canales in vaccis Sathanas obstruit ac impedit, & sic generari neqvit.* Wierus l. 4. C. 10. 11. An & maleficio brutis nocere, eaq; perdere possint? *Omninò. Nam & venena defodere, allinere, affricare, pulveres venenatos spargere, herbas venenatas, qvales Cicuta, Salamandria, aconitum, napellus, vintuocarpus &c. adhibere, aqvas intoxicare, aliaq; patrare possunt, qvæ à jumentis ac pecoribus hausta vel attracta, noxam inferre oportere certum est:* Et *Sathanam movere ac invocare possunt, ut is occultis*

modis pecudes subeat, exagitet, corporibus opertè se insinuet, in visceribus lateat, valetudinem vitiet, humores inficiat, morbos cieat, mortem inferat: Et ex vitioso halitu interdum interimere possunt. V. C. 9. t. 14.

11. Qvod patet 1. Scripturâ, *qvæ maleficis mortem inferendam constituit,* Exod. 22. v. 18. *Qvod non fieret, nisi reverâ maleficio nocere possent.* 2. Experientiâ, *qvà qvotidiè id verum deprehenditur. Sic* Ravensburgi *Saga aurigæ cuidam 23. eqvos maleficio occidit, cumq́; ad pauperiem redactus 24. emeret, sagamq́; se suis manibus interempturam, si eqvus periret, interminaretur, territa malefica eqvum intactum reliqvit.* Alij *in Argentinensi dioecesi anni spatio 40. boves & vaccæ maleficio perierunt. In Alpibus maximè freqventer jumenta maleficiantur. Sæpe à Pastoribus observatum, animalia 3. & 4. saltus in aëre facientia, subitò in terram collapsa interijsse,* Sprenger. T. 1. Mall. p. 2. C. 14. q. 1. *In pagis armenta perijsse ex fascino in via deffosso novimus, qvo eruto & amoto actus mutatus est.* Peucerus d. divin. p. 158. *In Ovili qvodam Biturigum 300. pecudes uno momento extinctæ sunt.* Bodinus l. 2. C. 8. *Similia ap.* Remigium l. 2. C. 7. 8. videꝰ. 3. Authoritatibus Juris Civilis & Canonici, *Patrum, aliorumq́;. Ex* Jure Civili V. Cod. d. mal. & Mat. l. 9. t. 18. *Et* leg. Cornel. d. Sic. & Venef. L. Corn. Inst. d. publ. Judic. Item Constit. Carolinam von Zauberey/ ex Canonico p. 2. decret. caus. 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. Constitutiones Alexandri 6. Adriani 6. Sixti IV. l. 7. decretal. C. 1. 2. 3. Innocentij VIII. item, V. C. 7. t. 14. Ex Patribus Augustinum l. 10. d. Civ. Dei in Jur. Can. 26. q. 5. C. 14. Et serm. 207. d. tempore. *Estq́;*

communis Theologorum & Philosophorum sententia. Qvidam, ut Wierus l. 3. C. 35. Lercheimer d. Zaub. Cap. 11. Prætorius d. Zaub. C. 9. *aliiq; negant, Lamias nocere brutis posse. Sed intelligendi de otiosis earum ceremoniis, visu, cogitatu, imprecatione, volitione, murmuratione, & similibus, qvòd per hæc nil realiter noceant. Aliàs per venena & Sathanæ interimentis vim noxas inferre posse certum est.*

12. 12. An bruta demortua verè in vitam revocare possint? Perfecta non, *ut canes, tauros, leones, elephantes, & similes; Ista enim animalia perfectiores qvasdam dispositiones ac organorum accuratiorem præparationem reqvirunt, qvæ non nisi naturali seminis virtute confici qveunt, ac semel substantialiter destructa reduci ita â finitâ virtute non possunt. Qvod Iudæus qvidam Magus* Zambre *fassus est, qvi taurum verbis in aurem submurmuratis occiderat, vivificari eum, nisi â DEO, non posse, apud* Simeonem Metaphr. in vita Sylvestri. V. Marullum l. 2. C. 7. Imperfecta *& insecta, ut muscas, scarabeos, aliaq; ex putredine genita, qvæ natura interdum revocat & reducit, beneficio ejusdem & auxiliorum ejus etiam Sathan ac Magi ejus reducere possunt. Sic muscas cinere aut cretâ tepefactâ revocamus, Sol verno tempore illas iterùm animat, & è latebris educit, similiter ranas è putredine, in qvâ velut mortua per hyemem latuerunt, hirundines ex aqvis & cavernis, in qvibus hyeme obrutæ, reducit, & ad vitam Calor Solis beneficus revocat. Sic anguillæ defectu aqvæ mortuæ revocantur, si in acetum sangvine vulturis permistum injiciantur, & sub fimo recondantur. Idem Sathanas per Magos præstare potest. Vim enim caloris putredinalis novit, & cætera ad revocandum reqvi-*

sita. Sed mors talium animalium imperfecta *erit, & anima in potestate sui corporis sopita latebit, sicq; reqvisitis admotis in actum excitabitur. Si completa & absoluta mors fuerit, vix eandem formam semel in Corpore suo, ut materiâ, informare plenè desitam, & qvidem eandem numero Sathanas revocabit, sed novam educet aut inducet in materiam, aut novum animal undecunq; raptum subducto veteri oculis subjiciet, & solius DEI manebit privilegium, eandem præcisè numero formam eidem materiæ de novo illigare.*

13. *Qvanqvam enim & per naturales causas qvandoq; tale qvid fieri posse* Scotus & Richardus in 4. sent. d. 43. q. 1. & 3. *censuerunt: Meliùs tamen & fidei Christianæ convenientius* Capreolus & Sotus in cit. dist. Soncinas 5. Meta. q. 6. Toletus 2. de gen. q. 13. alijq; *soli divinæ potestati sine motu, tempore, & intrinsecâ mutatione agenti id reservatum censent, naturali negant, cum omnis per motum, tempus, & mutationem agat, ut* in libris de generat. *pluribus disceptari solet. Et de perfectis brutis in vitam reductis, ut de Dracone Xanthus, de omnibus brutis* Agrippa, ap. Delrium l. 2. q. 29. *De Leone Apollonij Philostratus, de tauro præstigiatoris alicujus* Petrus de Abano & Remigius l. 2. C. 7. *De alijs alij qvæ habent,* aut *meræ præstigiæ & illusiones Magicæ fuerunt, & Sathanas ipse cadavera ingressus ad tempus ea vegetavit,* V. C. 4. t. 22. *Non vitam animalem verè illis Magi restituerunt:* Aut *meræ fabulæ & commenta Poëtica sunt:* aut *verè ac totaliter mortua ea non fuerunt, sed sopita tantùm ac mortuis similia, quomodo qvædam animantes certo spatio immotæ jacent, ac vere excitantur vitæq; redduntur, ut glires, hirundines, muscæ, passer vitulinus* apud

Carda-

Cardanum l. 7. d. variet. rer. *Secundùm qvosdam & Lucumorienses Russi in Moscoviâ apud* Guagninum in descrip. Sarmatiæ. *Qvod tamen meritò fabulosum* Herbersteinio alijsq; *videtur: Nisi fortè meris præstigijs Diabolicis absolvatur, cum ingens apud Septentrionales istos Magorum copia sit. De hominis autem resuscitatione* C. 9. t. 38. *videbimus.*

CAPVT IX.

De actionibus Magorum in hominem, & primò qvidem magis naturalibus.

H*Actenùs* secundaria Objecta *fuerunt, in qvibus actus suos Magi, authore Sathanâ, expedierunt. Seqvuntur* primaria & nobiliora, *qvæ & majore odio, ut juratus hostis Magorum patronus, Sathanas, proseqvitur, & in qva omnem armaturæ suæ apparatū decipiendo, lædendo, interimendo, versando, varijsq; modis agitando, Magi expediunt, qvæq; adeò omnis generis actibus exercent,* homines. *Qvæ qvomodo se habeant, porrò jam dispiciendum erit. Vt ordine aliqvo in illis procedatur,* actus Magorum circa homines in naturales & magis morales *dispesci possunt.* Naturales, *qvi naturam hominis Physicam magis concernunt. Tales sunt* hominum productio, sexus variatio, in Conjugio ligatio, morborum immissio, Incantatio, maleficiatio, somnificatio, morbor. Curatio & propulsatio, Infantum fascinatio, permutatio, *juventutis restitutio, & similia. De qvibus seqventia qværuntur.*

2. 1. An per coitum cum homine Dæmon verè, si velit, hominem generare possit? *De hoc* C. 5. t. 7. seq. *actum, & de Dæmone incubo ex parte id ostensum.* 2. An verè Magi homines in sues, lupos, eqvos, asinos immutare possint, retentâ in corpore bruto animâ humanâ? *Non. Qvia nec seipsos Magi verè ita immutare possunt, qvicqvid præstigiarum hic obfundant,* C. 6. t. 3. seq. *Minùs alios à se ita immutare poterunt: Nec Corpori aut animæ humanæ proportio ad ea competit, ut* c. l. t. 6. *visum.* 3. An verè hominibus capita cervina, bovina, eqvina, asinina, aptare possint? Non. *Sed mera præstigia ac illusiones Diabolicæ sunt, ut cum homines sua capita habeant, intuentibus tamen per præstigias elusis eqvina aut bovina esse appareant. Eoq́ pertinent, qvæ de Capitibus brutorum hominibus à Magis aptatis historiæ recensentur. Sic* Wagnerus *Magus Paduæ Marito caput bovinum, & uxori ejus vaccinum aptavit.* Hildebrand. p. 75. Goëti. *In Angliâ unus Magus alterius capiti cornua cervina aptavit.* C. 6. t. 21. *Sagæ qvædam capitibus ferinis apparuerunt.* C. 6. t. 8. *Zytho Bohemus Magus convivarum regis manus in pedes boum, ungulas eqvorum, transformavit, ne eas ad patinas porrigere possent, qvoties è fenestris ad spectacula prospicerent, frontibus eorum cornua cervina latissima adjecit, ne ora rursùs ad mensam referre possent.* Delrius l. 2. q. 6. ex Dubravio l. 23. hist.

3. 4. An sexum humanum mutare possint, ut ex Masculo fœmella, & vicissim, fiat? *Naturaliter id interdùm factum fuisse legimus. Sic* Hippocrates l. 6. Epidem. s. 8. *Abderim Phætusam Pithei uxorem partui vicinam menstruorum fluxu aliqvot mensibus cessante magnisq́ doloribus superatis, corporis habitu in virum degenerasse, idemq́ Anamisiæ Gorgippi uxori evenisse tradit,*

De actionibus Magorum in hominem magis naturalibus.

Thesis III.

D*E Spolitanâ muliere idem* Livius l. 24. *De puero ex virgine facto, de Aesconte, L. Coßitio, aliysq́.* Plinius l. 7. C. 4. *De Franciscâ & Carolâ Guarnis Fulgosus, de Mariâ Patheca Amat. Lusitanus, de aliys* Phlegon, Nicander, Trallianus, alijq́; *testantur. De pavone in pavam, & ephebo Campano in virginem transeunte* Ausonius l. 1. Epigr. 68. *scribit: Additq́, sed mollioragna adstitit, in tenerum de grege versa marem.* Confer & Gellium l. 9. N. A. C. 4. Mizaldum C. 8. Mem. c. 1. Cardanum l. 8. d. rer. Variet. Zuingerum Vol. 2. l. 2. Cigognam l. 4. C. 5. aliosqve. *De Cajetanis, Hispanicis, Neapolitanis qvibusdam similia ex* Torqvemadâ *& aliys narrat* Delrius l. 2. q. 22.

4. *Medici talia* vel *membris virilibus intùs in Corpore latentibus, posteaq́ conatu aut vi erumpentibus, vel utroq́ membro simul in Corpore existente, sed non aeqvè animadverso,* vel *myrto nymphaq́ muliebri increscente pinqviq́, cui involvitur, velamine effracto, caloris naturalis impetu, in penem, cui persimilis est, protruso,* vel *ad faemineum sexum masculino adhuc adjecto, & androgynis factis, praevalente tamen virili, unde pro Viris habentur,* vel *simili modo fieri ajunt.* Qvòd si ita *est, & Naturae vim talia moliri constat, etiam Sathanam ac Magos adhibitâ in auxilium Naturâ, similia praestare posse certum est.* Qvanqvam interdùm praestigias *hic intercurrere, & Viros ex mulieribus oculis à*

Sathanâ perstrictis, qvi reverâ mulieres sunt & manent, videri posse certum est, qvomodo nonnullis virilia abstracta visa fuerunt, qvæ reverâ in Corpore permanserunt, t. 10. Sed an & virum in fœminam Magus mutare qveat, *etiam hic qværatur?* Delrius *negat* c. l. *Sed si vera Naturæ exempla sunt, ut pavonis in pavam, Ephebi in Virginem, Tiresiæ Siproetæ, in mulieres ex Viris*, t. 3. *etiam Dæmoni naturam in auxilium adhibere valenti, ac conseqventer Mago per dæmonem agenti, non id penitùs negandum sit. Cum multa alia per maleficium patret*, t. 5. seq. *Et consentit* Delrius, *posse Dæmonem semine Virili aliundè arrepto & incubum præstante, verum hominem ex Sagâ aliave muliere generare*, C. 5. t. 7. *Quod majus & incredibilius est.* Cur *non ex Viro fœminam per sexus aliqvam mutationem conciliare qveat? Similiter formas substantiales imperfectas immutare potest, qvas Natura interdùm immutat*, C. 8. t. 4. *Vbi major, qvàm inter unius speciei sexum diversitas est. Magis ejusdem speciei sexum eum immutare posse credibile est.*

5. 5. An conjuges ligare qveant, ut coire, sibi debitum conjugiale reddere, & sobolem progenerare non possint? *Freqvens hoc in Magicis, & maleficium ligaturæ vocatur*, Binder/ Nestel-Knüpffer/ C. 1. t. 14. *Et ligandi modos ultra 50.* Bodinus l. 2. C. 1. *tradit. Negant qvidam, ut* Wierus l. 4. C. 20. 21. *Lamias hic aliqvid posse. Sed de otiosis verbis ac ceremoniis intelligendi, qvibus vitium illud ligaminis non perficitur, qvicqvid deliræ anus sibi persvadeant. Motore Sathanâ tamen Magos id posse patet* 1. Experientiâ, *qvâ nonnullos conjuges ita ligatos esse constat. Sic Iuvenis qvidam Romæ sub Henrico 3. Imp. qvi*

cum

cum uxore congressurus densum ac nebulosum qvid inter utriusq; Corpus volutari sensit, qvo à congressu impeditus est. Vincent. Belvacensis l. 26. hist. *Amasis Ægypti Rex ligatus, ne cum Laodice Uxore congredi posset, donec Magicis carminib. eo iterum solveretur.* Herodotus l. 2. *Theodoricus Gothorum Rex cum conjuge coire neqvijt, etsi cum concubinis potuerit.* Æmilius in vit. Clotharij. *Galeacius Sfortiæ fraude tactus fuit, ne matrimonio Isabellæ Arragoniæ potiretur.* Guicciardin. in hist. Ital. Mall. malef. p. 2. q. 1. C. 6. *In Isbrug mulieres maleficiatæ, ut viris inutiles essent, qvò arefactis aut abolitis illis Viri iterùm ad maleficas, ut amasias recurrerent.* Idem T. 1. p. 2. q. 1. C. 12. *In Westrasiâ Comes aliqvis ligatus, ut Uxorem agnoscere neqvierit, donec olla è puteo Castri repurgato remota fuit.* Grosius par. 1. Magic. p. 132. *In Galliâ praxis ligandi freqventissima est, ut pueri & puellæ eam patrent.* Bodin. c. l.

6. 2. Ratione, Partìm, *qvia DEI institutis summoperè infestus est Sathanas, eaq; ubi potest, & DEUS permittit, impedire, conturbare, evertere illum velle, certum est. Non mirum, si & Conjugio insidietur, & impedimenta conjugibus objiciat, litiumq; materias inter eos serat & servet:* Partìm, *qvia varij modi naturales esse possunt, Castratio, elisio, ruptura, desiccatio, exarescentia, coarctatio, infrigidatio, qvos Dæmon omnes novit, & adhibere potest, unde ligatio:* Partìm *qvia homo castrando, rumpendo, impotentem reddere potest. Cur non Dæmon?* 3. Authoritatibus, *qvia & apud Christianos & gentiles id Magos posse passìm receptum est.* V. Jus Canonicum can. 33. q. 8. Et totum Tit. Extravag. d. frig. & malef. Sententiarios in l. 4. sent. d. 34.

qvos allegat Henriqvetz l. 2. d. matrim. C. 8. Bodinum c. l. Delrium l. 3. p. 1. q. 4. Gœdelman. l. 1. C. 6. Guirlandum d. sortileg. Mall. malef. T. 1. p. 2. q 1. C. 6. & T. 2. Tr. d. pyth. Contr. Stumpfiū l. 2. d. Zaub. C. 13. Lercheimer d. Zaub. n. 11 Tholosan. l. 34. C. 9. Boisardum d. Magia, C. 4. aliosq;. *Sic apud* Papistas *in ligamine post 3. annos irritum conjugium pronunciatur, & separatio sub 7. testium juratorum manu instituitur.* Extrava: c. l. *Ex gentilibus* Virgilius Ecl. 8. Propertius, aliiq; *consentiunt.* Rabbini *Veteres &* Berosus *Chamum tali damno Noachum affecisse, sterilemq; eum qvasi castratum magico carmine reddidisse, existimant.* Beros. l. 3. Tholos. c. l.

7. 6. Cur super vim genitalem tale maleficium permittat DEUS, non super aliam, ut vim comedendi, bibendi, nec aliud membrum ita fascinare qveant Magi, ac genitale? Bodinus c. l. *dubium movet, & pro observatione digno adducit. Sed non advertit, aeqvè vim locomovendi, audiendi, videndi, Magos infestare posse, ut homines claudos, paralyticos, coecos, mutos, surdos, per maleficium reddant, qvorum exempla freqventissima sunt,* V. t. 10. *Genitalem autem freqventiùs infestare permittit DEVS,* partim *qvia voluptas ista carnalis, & cum pecudibus homini communis est, tactusq; sensus, in Venere & Ventre maximè luxurians, hominem carnalem, belvinum, & intemperantem reddit, cum reliqvi sensus id ita non faciant, ut auditus, visus, olfactus, qvi subtiliores & magis spirituales sunt, ut in* Phys. *disputatur, ut eò meliùs à carnalibus Voluptatibus homo se retrahere discat:* Partim *qvia generando peccatum, & labes in hominem transfunditur, unde & in peccato concipimur, gestamur,*

stamur, calefimus, & elaboramur, sicq; ex peccaminoso semine progignimur, Psal. 51. v. 7. *Vt ita ista potestas maximè Dæmonis insultibus subjaceat, ex qvâ peccatum ut fonte & origine in hominem dimanat, & de sobole in sobolem propagatur:* Partìm *qvia generativâ vi maximè homo in variis impuritatibus abutitur, scortatione, adulteratione, incestu, bestialitate, præderastiâ, intemperantiâ, obscoenitate etiam in conjugio, impurâ consvetudine, pollutione, aliisq;.*

8. 7. Qvibus modis Sathan talem ligaturam inducere possit? Varij *hic modi sunt*, partìm *naturales*, partìm *præternaturales, qvos impostor per Magum adhibere qveat.* Vel *enim odia inter Conjuges serit*, vel *phantasiam turbat, ut in compare valdè odiosum qvid advertant, ut Valazza mulierum mentes poculis & carminibus à virorum amore avertit, ut maritos, patres, fratres, filios unâ nocte omnes interimerent,* Aen. Sylv. hist. Boh. C. 7. *Sic in Hetruriâ Iuvenis uxorem formosam cum liberis reliqvit, & veneficam aliqvam perditè adamavit, eiq; cohabitavit, & in Neapolitano tractu simile contigit, ut ex* Codronchio Sennertus C. 3. l. 6. Pract. *narrat:* Vel *in congressu alterum alt. lancinare facit, ut genitale nimis magnum, vel valdè fœdum appareat:* Vel *Corpora impedit, ne conjungi possint, nebulam, t. 5. phantasma, aliudvè interjiciendo. Sic* Propertius l. 1. El. 12. *Aut qvæ lecta Prometheis dividit herba jugis?* Vel *Spiritus ad genitalia decurrere prohibet, ne seminis decisio generetur,* V. Majorem in 4. sent. d. 34. a. 3. Vel *semen exsiccat & subtrahit*, vel *alia naturalia media adhibet, qvibus Veneri impedimenta qværuntur*, vel *Corpora congressa cohærere facit, ut divelli iterùm non possint, unde*

congrediendi horror oritur, qvomodo in Vrbe Karentinâ ap. Rugianos factum, Saxo Grammat. l. 14. hist. Dan. *Qvod vel præstigijs, vel viscositate seminis peractum à Dæmone.*

9. 8. Cur sæpiùs Viri, qvàm mulieres ligentur? Vel *qvia potioribus insidiatur Dæmon magis, qvàm vilioribus, ut homini magis, qvàm bruto aut plantæ, Viro magis qvàm mulieri, Virilis enim sexus potior muliebri:* Vel *qvia plus operæ & instrumentorum in Viro est, qvam fæminâ:* Vel *qvia plures semper maleficæ, qvàm malefici,* C. 3. t. 17. *Eoq; pluribus viris â mulieribus noceri potest:* Vel *qvia mulier intensiùs appetit Virum, qvàm Vir mulierem, eoq; defectum titillationis acerbiùs dolet, itaq; dolorem ejus Sath. intendere vult, qvod in Viro, ut fortiore, ita non posset.* 9. An & in perpetuum ligare possint, ut nullo naturali aut licito medio tolli qveat? *Negant nonnulli cum* Glossâ in C. Reqvisijsti, & C. 33. si per sortiarias. *Communiter tamen â* Canonistis & Theologis *Glossæ dictum rejicitur, & contrarium assumitur, ut* Abbas, Navarrus, Tostatus, Lombardus, Thomas, Durandus, Paludanus, alijqve apud Henriqvetz C. 8. c. l. *sentiunt. Et veriùs hoc.* Si enim ad tempus, *cur non in perpetuum permittente DEO, Sathan ligare possit?* Si *sæpiùs, cur non toties, qvoties DEVS permittat?* Si *ut solvi possit ligamen, cur non &, ut solvi non possit? Nec enim semper Magi, qvæ corruperunt, sanare iterùm possunt, ut falsò Glossa præassumit, ut* t. 24. *patebit. Et si genitale totaliter præciderit, qvod interdum factum,* t. 10. *Non minùs resectum restituere poterit, qvàm vitam semel ablatam iterùm reddere.* V. t. 38.

10. 9. An & solvere ligaturam possint? *Qvandoq;*

doq; possunt, non semper. Prout & in alijs morbis curam præstare interdum non possunt. t. 24. 10. An Christiano per Dæmonis artem ligaturam iterùm solvere liceat? *Non. Nec enim Creaturæ deserto Creatore ad Creaturam eamq; impiam ac nefariam recurrere licet, ut ab eâ auxilium imploret :* Sed ad Creatorem confugiendum, *orandum, jejunandum, auxilia naturalia & artificialia licita adhibenda, & si succedere res non velit, patienter onus ferendum, & in hac vitâ finem ejus cum fine vitæ futurum credendum est.* V. C. 11. t. 6. 11. An & genitalia prorsùs auferre possint? *DEO permittente omninò possunt. Majora enim, quàm illud, in hominem possunt, ut occidere, surdum, mutum, cæcum, paralyticum reddere, caducum morbum immittere, Corporaliter à Dæmonibus homines obsideri facere, aliaq;* t. 12. seq. *Et* exempla *multorum id testantur. Sed ubi ablata illa, verè restituere non possunt, æquè ac vitam semel excussam verè reddere non possunt.* t. 38. *Sæpiùs autem & præstigias hic intercurrere certum est, & cum adsint membra, visu tamen aut tactu non advertantur. Sic Iuveni cuidam Ravenspurgi, & alteri Spiræ contigit.* Sprenger. p. 2. q. 1. C. 7. Mall. *Et seni Ianitori Bassumpetrano*, Remigius l. 2. C. 5. *Similia* Codronchius ap. Sennertum l. 6. Pract. p. 9. C. 3. alijq; *narrant.*

11. 12. An & alijs modis geniturам corrumpere possint? *Qvibuscunq; modis aut medijs Natura, ars, aut violentia eam destruere, vel de statu suo naturali deturbare potest, ut castrando, rumpendo, elidendo, exsiccando,* t. 6. *Vel morbus naturâ & causis naturalibus exsurgens, aut affectus vehementior turbare, aut tollere vim generativam in*

mare

mare & fœminâ potest, illis omnibus & *Magus per Sathanam eam infestare potest.* Præterea *& alijs modis Magis proprijs eam lædere potest, ut maleficio & incantamento,* t. 8. *Sathanam etiam rogare potest, ut ipse subtiliter Corpora subeat, maligna in ijs latenter Symptomata, Cruciatus, ulcera, & morbos vim generandi impedientes aut extinguentes excitet,* C. 8. t. 10. *Sicq́ dispositiones membrorum ad generandum reqvisitorum violet, & vim ipsam tandem corrumpat.*

13. An morbos per maleficium immittere possint? *Negant* Wierus l. 3. d. præst. C. 14. Et l. d. lamijs, C. 15. seq. Lercheim. d Zaub. C. 11. 15. *Ubi & Italum allegat, qvi morbosos maleficiatos meliora informatos tandem talia irrisisse dicat; Qvod & ipse probat:* Prætorius & Scultetus d. Zaub. C. 9. Hippocrates, Avicenna, Pomponatius, Lemnius, ap. Delrium l. 3. p. 1. q. 4. ſ. 5. Biermannus d. Mag. act. t. 50. 51. alijq́; *qvi omnes morbos è caussis naturalibus, ut venenis, deducere allaborant.* Sed experientia *in contrarium est, & morbos præter naturā in homine excitari docet, qvæ nec arte, nec Naturâ tolli potuerunt.*

12. Patetq́ hoc 1. Scripturâ, *ubi Sathan Iobum pessimis ulceribus percussit,* Job. 2. v. 7. *Et ubi homines mutos, cæcos, ac surdos reddidisse,* Matt. 12. Luc. 11. *Lunaticos,* Matt. 17. v. 15. 18. *Caducos,* Marc. 9. v. 17. 18. *Ex nervorum contractione Incurvos, dicitur,* Luc. 13. v. 11. 16. *Qvamvis Magus hic non intervenerit. Qvod autem Sathan in hominem potest, id Magus eum, ut faciat, rogare potest. Et tùm morbus fiet Magicus.* 2. Naturâ & ratione, *qvia media, per qvæ morbi homini immittuntur, Sathanas in potestate suâ habet, eaq́ ad rogatum Magorum adhibere potest,*

ut

ut aërem inficere, humores in Corpore corrumpere, occultè illis illabi, venena affricare, viscera intoxicare, herbas, unguenta, olea, pulveres malignos, aliaq́; temperamentis hominum specialibus, qvæ optimè Sathan novit, valdè adversa adhibere. E. & his medÿs morbos homini inducere potest. 3. Qvia *sæpè Sagæ â Sathanâ pulveres, herbas, unguenta, festucas, aliaq́; accipiunt, qvibus ex pacto cum Sathanâ efficaciam obtinentibus & homini adhibitis, qvem illa designant, lædunt aut interimunt, cæteri inviolati manent*, V. Remig. l. 2. C. 8. *Sæpè primum qvemq́; transeuntem talia lædere possunt, interdùm eum tantùm, cui destinata sunt: Sæpè halitu & afflatu inficiunt*, V. t. 15. *Aut verbis nocent, ut* Lucanus l. 6. *Mens hausti nullâ saniε polluta veneni excantata perit.* Virgil. 3. Georg. *Miscueruntq́; herbas, & non innoxia verba.* V. & Ovidium 9. Metamor. Senecam in Mede. Interdùm *minis, increpationibus, laudibus, Diabolo nempè operâ suâ ad signum ex pacto concurrente & lædente, non qvòd solis verbis aut minis id fiat.* V. C. 8. t. 8.

13. 4. Exemplis & Experientiâ, *qvibus Magos partìm venenis & noxÿs medÿs, partìm horrendâ Sathanæ potestate horribiles morbos & necem hominibus intulisse constat. Sic Drigæa Saga maritum unguine illinendo occidit.* Remigius l. 1. C. 2. Jana *Vlderica &* Barbelina *pueros necârunt. Hæc etiam pirum in viam projecit, qvod gustans aliqvis præteriens gravi morbo correptus, vix domum redire potuit.* Alia *detractos cunis infantes pronos in culcitram stravit, & sic extinxit.* Alia *homines & pecudes pulvere interemit, membra puellæ alicujus debilitavit. Similia multa* ap. Remigium l. 2. C. 7. seq. Delrium c. l. s. 5. Grosium p. 1.

 Magic.

Magic. p. 133. *videantur.* Addæus *Senator ap. Iustinianum securi percutiendus fassus est, se Theodosium aulæ præfectum Magicis artibus occidisse.* Vedelius l. 1. C. 5. d. prud. Veter.

14. Duffum *Scotorum Regem lentâ tabe Sagæ per Dæmonem consumpserunt, cum ceream imaginem assârunt, & liqvore qvodam perfuderunt.* Boethius l. 11. hist. Scot. Wietus *qvidem* l. 3 C. 14 Cardanus l. 15. d. rer. Variet. C. 80. alijq; *fabulosum habent. Sed inter veneficia talem per cereas imagines nocendi modum lamijs usitatum esse Experientia & multi scriptores testantur. Ex* JCtis Grillandus, Accursius, Salicetus, Angelus, Damhuderius, Inqvisitores Germaniæ, Ex Theologis & Philosophis Castrius, Binsfeldius, Delrius l. 3. p. 1. q. 4. *Et ex Veteribus* Ovidius in Epist. Vbi de *Medeâ, Devovet absentes, simulacraq́ cerea fingit, & miserum tenues in jecur urget acus.* Aliæ *item historiæ similia habent, ut Francicæ de Marignij uxore in Regem, &* Belgicæ *de tribus ex familiâ Comitis Stampani in Principem Carolum fascinandum.* Delrius c. l. Bodinus l. 2. Dæm. C. 8. *Sic in Belgio Virginis conjugium alicujus aspernantis imaginem ceream sortilegæ compunxerunt, eoq́ virgo varijs doloribus excrutiata est, qvasi acubus pungeretur.* Zacutus l. 3. observ. 134. Conf. Tholosanum l. 34. C. 11. n. 4. *Interdùm in statuis fascinatio facta, & in homines derivata.* V. Delrium c. l. *Vbi imaginum fabricatores inter Magos referuntur. Sic Toleti per ceream imagunculam acu in oculo punctâ, Wagnero Mago super mensâ oculus excussus, illeq́ unoculus factus est.* Hildebrand. p. 68. Goëti *In Isbrug mulier aliqva maleficiata, & sub limine domus imago cerea inventa perforata, & acubus per latera transfixa.*

Spren-

Sprengerus p. 2. q. 1. C. 12. *Lutherus morbos suos inter alia veneficijs adscripsit.* Gœdelman. l. 1. C. 7.

15. Interdùm *morbi præter naturam in hominibus fuerunt, qvorum causæ & Symptomata præternaturalia ac admiranda fuerunt, ut ad superiorem Causam agentem, ut Sathanam & maleficium, decurrere necessum fuerit.* Sic *agricola in ditione Eistetensi clavum ferreum sub illoesâ cute sensit, eumq; tonsor exsecuit. Postea in Cadavere dissecto ligna, qvatuor cultri, ferramenta, pili, aliaq; inventa.* Mulieres *qvædam acus, pilos, vitra, caudæ caninæ frusta, clavos, ceras, pilorum globos sat grandes, & iteratò interdùm, rejecerunt.* Puella *qvædam Lovaniensis vivam anguillam excrevit, qvæ postea evanuit, pilos permultos, crassos, aqvam copiosam ad 24. libras, &c. Ex muliere qvadam 17. lignei sudes parvuli extracti. Qvorum historias ex* Codronchio, Gemmâ, Zacuto, Delrio, alijsq; *petere licet, & ab* Sennerto c. l. C. 3. 4. & Delrio l. 3. q. 4. s. 5. 6. *narrantur. Confer &* Senner. l. 2. Instit. p. 3. s. 1. C. 11. Grosium p. 1. Magic. p. 116. seq. & 127. seq. Gemmam l. 2. CosmoCriticæ, C. 4. *Vbi similia reperies.* Si naturaliter *talium qvædam in Corpore gigni dicantur, Sathanas tamen gignendi causas, occasiones, & modos egregiè suppeditare potuit, & sic primum agens hic fuit.* Si præstigias *esse reponatur, qvandoq; realia fuisse certum est.* t. 20. *Interdum homines Sathanas ligavit ad lectisternia, præsepia, aliaq;, ut nodi dissolvi neqvierint,* V. Grosium p. 81. Bodinum l. 2. C. 3. *Qvandoq; contractione & convulsionibus eos infestavit, ut manus pedum officium facerent, & consumptâ musculorum carne vermes exierint, qvi repentè evanuerunt. Vt Sartorem in Köden, qvi subitò sub*

Sambuco ita correptus, & priori formæ restitui nullis medijs potuit. Sennert. l. 6. Pract. c. l. C. 6. *Qvandoq; halitu Sagarum qvidã loesi. Sic in Constantiensi agro in ipsa strue lignorũ Saga comburenda, pro isto labore præmium, dixit ad Carnificem, â me habebis, ac faciem ejus insufflavit. Statim ille in lepram incidit, & paucis post diebus obijt.* Gœdelman. l. 1. C. 7. n. 26. Sprengerus p. 2. q. 1. C. 11. Vbi & C. 12. 13. *Ac apud* Delrium l. 3. p. 1. q. 4. s. 2. & 5. *plura invenies. Alia Saga in strüe lignariâ duos Carnifices halitu occidit, & tertio varios tumores faciei conciliavit, qvibus postea obijt.* Grosius p. 1. Magicor. p. 140. *Qvandoq; urina in homine maleficio ad mortis usq; periculum suppressa. Vt in Iuvene qvodam, qvi & in publico urinam mittere â malefico coactus est.* Sennert. c. l. C. 3.

16. 5. Qvia *veneficij instrumentis abolitis, aut Sagis ipsis crematis, sæpè veneficij vis cessit, & homines pristino vigori restituti sunt. Sic Comes potens redditus, cum olla exusta.* t. 5. *Homines & pecora convalverunt, ubi Bibrana Laodunensis cremata. Mulieri cuidam lac redditum, ubi Saga abolita. Vxor cujusdam peperit, ubi amita, qvæ impedierat, obijt.* Bodinus in Confut. Wieri. *Duffi morbus cessit, ubi imagines abolitæ, & veneficæ crematæ sunt.* Boeth. l. 11. *Sagæ cum incarceratæ, pulveres & unguenta earum, qvib. nocuerunt, sine damno ab hominibus tractari possunt, ut experientia testatur.* Sennert. c l. C. 5. 6. Qvia *idem authoritatibus Iuris Civilis & Canonici, Philosophorum item, ut* Delrij, Cigognæ, Beyerlingij, Bodini, Remigij, Prætorij, Pererij, Grosij, Theologorum etiam, JCtorum & Medicorum, ut Binsfeldij, Biermanni, Gœdelmanni, Besoldi, Tholosani, Althusij, Sennerti, Zacuti, Codronchij, aliorumq; *constat.*

17. Di-

17. Dices 1. Scriptura *notanter DEO tribuit, qvòd morbificet & sanet, succutiat & medeatur.* Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6. Sap. 16. v. 13. Tobi. 13. v. 2. E. malè Sagis id adscribitur. ℞. Deus id agit, *ut causa prima & independens, Sathan & magi, ut secundæ & dependentes. Sic per angelum primogenitos Ægypti, & exercitum Sanheribi percussit.* V. C. 7. t. 10. *Nec Sathan hic qvicqvam posset, nisi DEUS ei permitteret,* C. 3. v. 1. *Eoq; ad DEUM cuncta hæc referuntur.* 2. Mera Sagarum Melancholica *deliria sunt, qvibus se hæc aut ista efficere dicuntur, qvibus à cordatis fides adhiberi non debet.* ℞. Cruciatus *ægrorum facto ab ægris percepti & intensiss. qvandoq; sunt, non melancholicorum cogitata.* V. t. 20. *Nec omnes Sagæ melancholicæ sunt, nam & Principum, Comitum, Baronum, uxores qvandoq; intercurrunt, qvæ non statim melancholicæ, & Iuvenes, Viri, Virgines, Iuvenculæ, cœtibus Magicis sociantur, qvæ etiam non melancholicæ. Nec ita unanimiter in actis, objectis, temporibus, circumstantijs, modis, instrumentis, consentirent, taliaq; referrent, cum melancholici & deliri mille modis dissentiant. Nec omnia, qvæ Sagæ narrant, somnia & deliria sunt, etsi qvædam intercurrant; sed interdum realiter contingunt, ut* C. 4. t. 16. seq. C. 5. t. 2. seq. *ostensum.*

18. 3. Verbis, ritibus, *Characteribus, imprecationibus ad morbum inducendum nulla inest efficacia. At hæc plerumq; instrumenta Sagarum sunt. E. nec morbus his inducitur.* ℞. Verbis id non fit, *sed pacto & virtute Sathanæ ad signum suum ex convento concurrentis & lædentis,* t. 12. Sæpè *etiam pulveribus & unguentis venenatis à Sathanâ acceptis agunt, ut non sola verba hic concurrant,* t. 12. 13.

 4. Qvi

4. Qvi dæmonis *ope ita â Magis affliguntur, veriùs obsessi dicendi, qvàm ægroti.* ℞. Minimè, *Cum nec obsessorum indicia, nec effecta in illis reperiantur.* V. C. 3. t. 14. 15. *Sic Iobus & alij â Sathanâ morbis infestati,* t. 12. *Nec propriè obsessi.* 5. Si qvid hic fit, *Sathanæ operâ fit, non Magi. Ergò nec huic morbus adscribendus.* ℞. Principale *agens Sathanas est: Interveniens Magus esse potest, qvi Sathanam rogat, inducit, imperata ejus perficit, pulveres, ungvines, alia accipit, spargit, applicat, ad qvæ Sathan advolat, & destinata ferit ac infestat,* t 11. 12. 13. *Vbi Venenis Magus agit, omninò & ipse per medium istud efficit.* 6. Qvæ Magi *ad morbos adhibent, fermè ridicula sunt, ut vitra, clavos, pilos, nodos, festucas, plumas, acus, ungues, qvib. nulla virtus inest. E. nec morbum inferunt.* ℞. Nec istis *rebus morbi immittuntur, sed pacto & virtute Sathanæ, qvi totius negotij Causa, & hic lædit,* t. 11. seq. *Ista vel ludibrij*, vel *obedientiæ*, vel *alterius gratiâ à Sathanâ adhiberi jubentur.*

19. 7. Sæpè *morbi ex causis naturalibus & interno humorum vitio exsurgunt, & postea Sagis adscribuntur.* ℞. Sæpè *id fit, ut exemplo Wittebergæ docet* Sennertus c. l. C. 5. *Et tùm falsò Sagis tribuuntur. Sed* sæpè *etiam causæ naturales in morbis nullæ sunt, & tum justè Sathanas in efficientem assignatur,* t. 14. Interdùm *per causas naturales morbos Sathan inducit, ut venena, & alia hominis temperamento antipathetica, ubi humor corruptus morbi causa est, sed corruptionis causa Sathan est, & sic morbo commercij aliqvid cum illo, ut nec tolli qveat, nisi illius vis aut motus sublatus fuerit.* Sed *qvandoq; & immediatè propriâ violentiâ homines interimit. Sic qvidam in terram projecti, aut alio modo deturbati,* V. t. 13.

20. 8. Me-

20. 8 Meræ *præstigiæ rejectorum istorum ab hominibus*, t. 14. *sunt, Nam nec meatus nec viscera qvantitatis rerum istarum capacia sunt, tactu in ventriculo nihil percipitur, nil cibo aut chilo permistum apparet, & sæpè nullus dolor fuit, qvod impossibile.* ℞. Sæpè *præstigiæ hic esse possunt, ut angvilla* t. 15. *& scopæ minutìm incisæ per oculos ophtalmici egresse* ap. Sennert. c. l. C. 5. Sæpè *tamen etiam realia intercurrere immanis dolor cruciatorum, vera attrectatio, exsectio, & evulsio Chirurgorum, accurata per tactum exploratio adhuc in Corpore detentorum, realis cura morbidorum, exqvisita observatio multorum adstantium, ligularum in ipso ventriculi orificio detentio & violenta qvasi ereptio, aliaq; docere possunt, qvæ omnia tàm freqventer observata meras præstigias dicere inconveniens est. Qvocunq; modo in Corpora ista res â Sathanâ immissæ sint, sive ex tartaro procreatæ, ut & naturaliter fit, & possibile, ut* Galenus, Celsus, Aëtius, Lemnius, *aliiq; docent, sive hominibus alto somno oppressis per membri dextram incisionem â Sathanâ immittantur, qvod ipse ita consolidet, ut vestigium nullum appareat, ut & periti Chirurgi qvandoq; factitant. Vt in Lotharingiâ factum,* Remig. L. 2. C. 4. *Sive priùs comminuat solida, postea iterùm uniat, cujus modos Sathanas varios novit, qvos specialiter nos explicare nec semper possumus, nec tenemur. Magica etsi naturæ subjaceant*, C. 4. t. 6. *In specialibus tamen modis occultas & ignotas rationes habere possunt.* Biermannus *incredibilia esse, & se qvod affirmet, non habere ait*, d. Mag. t. 59. Wierus, Sennertus, alijq; *ad præstigias recurrunt.* Delrius *modos citatos, ut probabiles adducit* c. l. Alij *per poros dilatatos immitti posse censent, ut* Paracelsus & alij.

Qvan-

Qvandoq; probabile hoc, sed non semper congrua hic proportio, non enim tanta moles per poros immitti possunt.

21. 9. Si pulveres *& unguenta Sagarum venenata sunt, & sic nocent, cur non ipsas Sagas primò omnium lædunt, cum naturalia semper eadem agant, ut ignis urit, frigus constringit, Calor laxat.* ℞. Vel *qvia præmonentur Sagæ à Sathanâ, & antidotis se præmuniunt,* vel *qvia pulveres non semper Naturâ sui venenati sunt, sed ex pacto & vi Sathanæ in destinata feruntur, non alia,* t. 12. seq. Vel *qvia diversa Corporum est Constitutio, & unum longè faciliùs læditur, ac alterum, aut fortiùs resistit etiam venenis, ac aliud,* V. d. 2. Misc. d. 7. t. 20. *Ut agens non per modum activitatis, sed receptivitatis suæ agere cogatur:* Vel *qvia diversa ipsius lædentis rei est temperies, & qvandoq; vetustate detrita, & exhalavit,* vel *qvia mirabilis DEI dispensatio qvandoq; accedit, ut ne in ea qvidem, qvibus destinata sunt, Magica qvidqvam possint,* C. 3. t. 2. *Naturalia semper eodem modo agunt, sed* nisi impediantur. *Et hic actus non omnimodè naturalis, sed præternaturalis, & Magicus est, qvi ad Sathanæ, ut Demiurgi, attemperationem totus ferri debet.*

22. 14. Qvibus modis morbi Magici dignoscendi, præcavendi, & curandi sint? *De hoc* C. 11. t. 2. seq. *agetur.* 15. An solo visu, aut imprecatione, aut characteribus & ceremonijs morbos inferre Magi possint? *Non. Nec enim ista realiter & ad extra sunt efficacia. Sed qvicqvid hic fit, à Sathanâ ex pacto ad ista, ut tesseram suam concurrente & firmâ ægri persvasione fit.* C. 8. t. 8. C. 9. t. 12. 17. *Nec verba aut ceremoniæ id præstant, sed aliud qvid,* t. 18. V. & C. 7. t. 11. 16. An & obsessiones Dæmonis Magi

procu-

procurare possint? *Omninò. Nam* & *sine instantiâ Magi dæmon permissu & justo judicio DEI hominem obsidere potest, ut exempla testantur. E. & ad rogatum Magi & Sagæ idem præstare poterit:* Et exempla *factum qvandoq́ esse testantur. Sic Iuvenis aliqvis ad postulatum malefica, qvam increpuit, & maleficium sub arbore occultantis â Sathanâ obsessus est.* Sprengerus p. 2. q. 1. C. 10. *Sic arte vatum Æsculapij Dæmon in Virginem immissus, qvam Iuvenis aliqvis perditè amavit. An. 1554. 80. mulieres Iudaæ per Magos obsessæ. Anno 56. 30. pueri maleficijs obsessi. In Kentorfensi monasterio montales omnes à coqvâ Sagâ obsessæ.* Bodin. l. 3. C. 6. *Simon Magus eos, qvi ipsum præstigiatorem dixerunt, dæmonib. vexandos subjecit, qvanqvam* Baronius T. 1. an. 68. *meras præstigias fuisse censet. Idem* Apollonius *præstare potuit: Et ipsi dæmones ex hominibus abacti â maleficis se immissos esse, & malefici qvæstionibus subjecti se immisisse, confitentur, ut in historia Macedonij exemplum extat.* V. Thyreum d. obsess. p. 1. C. 16. Et Delrium c. l. s. 7. *Plura ap.* Bodinum l. 3. C. 6. *vide.* Qvandoq; & Dæmones *ex hominibus abegerunt Magi, cedente nempè dæmone inferiore superiori, aut Corporis occupati loco animam corrumpente. Sic* Apollonius, *Magi Africæ, Germaniæ, & Coloniæ qvidam eos abegerunt.* Beyerling. Voc. Mirac. p. 544.

23. 17. An & abortus procurare qveant? *Omninò. Qvibus enim modis vim genitalē Dæmon in homine corrumpere, illis & fætus occidere potest, sicq́ abortus fieri necesse est. Et id Sagas sæpiùs fecisse exempla docent. Sic Stadlein Magus 7. infantes in utero successivè per dæmonē se occidisse fassus est.* Ni-

derus C. 3. formic. *Nobilis aliqva fœtum frustillatim ejecit. Alia prægnans ossa, ligna, spinas, aliaq; ingenti cum dolore ejecit,* V. C. 8. t. 8. *Cumq; humani generis summus osor Sathanas sit, propagationi ejus eum insidiari, sicq; fœtus in utero occidere, dubium nullum est.* 18. An & difficiles partus conciliare qveant? *Et id per Sathanam possunt,* partim *per naturalia media, qvibus pariendi difficultas qvandoq; in mulieribus provocatur, qvalia expultricis debilitas, pectoralium difficultas, fœtus impertinens qvantitas, vel vacillans qvalitas, viarum exilitas, egredientis fœtus obliqvitas, aliaq;, De qvibus in Medicis;* V. Sennertum l. 4. Pract. f. 6. C. 4. & 5. Partim *per veneficia, cum violentiâ & fraudibus Sathanæ difficultas ista immittitur, augetur, aut propagatur.* 19. An & morbos curare possint? *Eos qvi â veneficio, interdùm possunt. Sathanam enim movere qveunt, ut â lædendo cesset, & sic morbus prostratus erit. Et is pro pacto, qvod cum illis habet, facilè in rem consentiet. At id factum persæpè esse historiæ testantur. Sic puella aliqva maleficiata per maleficum curata pilis resectis, & charta, cui T. M. inscriptum, asiniq; ungula semicombusta capiti impositis.* Zacutus l. 3. obs. 134. *Plura* Sprengerus p. 2. q. 2. *habet. Apud* Suidam *jam inde â Minois tempore homines leguntur, qvi verbis & sacrificiis morbos curârunt.* Anno 1522. *Romæ pestilentia per Magum* Demetrium Spartanum *sedata.* Jovius l. 21. hist. Gilb. Cognat. l. 8. narr.

24. *Qvædam Saga per bucceam panis ægrotæ datam morbo eam liberavit.* Bodinus l. 1. C. 6. *Aliæ aliis mediis homines curârunt.* V. Eundem l. 3. C. 2. & 5. Grosium p. 1. Magic. p. 153. seq. Remigium l. 2. C. 7. *Brugis qvædam*

Saga

Saga omnes morbos sine ullis medijs adhibitis curavit. Gœdelman. l. 3. C. 10. n. 38. Interdùm per malitiam *nolverunt veneficia curare. Sic in pago ad Ienam Magus ægrum curare debens venenatis herbis hominem occidit, qvòd aliqvando injuriosis verbis ille eum impetijsset.* Manlius Coll. p. 35. Grosius p. 1. Magic. p. 126. Qvandoq; *nec Magicos morbos curare potuerunt, sed aliò rem amandârunt. Vt Iohanna Harvilleria.* Bodin. l. 3. C. 2. *Magus aliqvis in Flandriâ ad Magum in Portugaliâ, & hic ad aliqvem in Galliâ ægrotum amandavit.* Idem C. 5. *Qvandoq; responderunt, nimis tardè se advocari,* ap. Binsfeld. in Cod. d. malef. q. 6. n. 5. Naturales autem aut casuales morbos *nonnisi per naturalia media curare possunt. Nec Sagarum hoc proprium, sed multis commune id est.* Interdùm *morbus in naturali declinatione est, & tùm falsò Magis cura adscribitur.* Interdùm *Scripturæ verba ad curandum impiè adhibent.* Wierus l. 2. C. 5. l. 4. C. 4. & alibi. 20. An Christiano maleficia maleficijs per Sagas curare liceat? De hoc C. 11. t. 6. *agetur.* 21. An & somnificum maleficium homini immittere possint? *Nempè, ut homo potionatus aut incantatus profundè dormiat, ut per somnum Sagæ maleficia destinata in eum exeqvantur.* Omninò. Nam & *venena aut herbas somnificas adhibere possunt: Et experientia â Sagis id fieri contestatur. Sic Saga maritum ungvine â Sathanâ accepto unxit, ut dormiret, dum ipsa cum incubo rem Veneriam haberet. Similia aliæ egerunt.* V. Binsfeld. p. 1. d. Conf. Mal. Con. 5. Remigium l. 2. C. 4. aliosq;: Et â Poëtis *alijsq; talia asseruntur.* Virgil. 6. Aen. *de Cumaâ,* melle Soporatam, & medicatis frugibus offam objicit: atq; immania

terga resolvit, Fusus humi totoq; ingens extenditur antro. V. & Ovidium 7. Met. d. Medea. Senecam in Mede. Flaccum in Argonaut. aliosq;.

25. 22. An solo intuitu aut verbis infantes fascinare, emaciare, perdere, possint? *Communiter hoc lamijs attribuitur, ut apud* Virgilium & Theocritum, V. C. 8. t. 8. *Et de Triballis ac Illyrijs geminis pupillis conspicuis* Plinius l. 7. N. H. C. 2. Gellius l. 9. N. Att. C. 4. Zuinger. Vol. 5. l. 4. alijq; *tradunt. De Scythicis mulieribus, Bithijs dictis,* Apollonides, *de Thibijs & Ponticis gentibus nonnullis* Plutarchus *id narant,* 5. Conviv. q. 5. 7. *Sed solius visus, vocis, aut laudis id esse non potest, cum nihil ex oculo ad rem visam egrediatur, sed species visa oculi pupillam ingrediatur, ut in* Phys. & Opticis *docetur,* C. 8. t. 9. Nec *spiritus visivus ex oculo egredi possit, ut maleficium pariat.* Nec *ad oculum reverti emissus Spiritus poterit, qvem vultui fascinandi impressum esse oportebit:* Vel *foris demùm eam suscipiat, qvomodo ad oculum pervenire non poterit, & sic saga præsente objecto & intentis Spiritibus nihil tamen videbit; Et verba, ut qvantitates & syllabæ, præter significandi vim, aliam non habeant,* C. 7. t. 11.

26. Sed qvicqvid hic in fascinando realis *contingat,* vel *totum ex pacto Sagæ cum dæmone ad intuitum, aut sonum vetulæ velut ad tesseram suam concurrente & effectum præstante evenit:* Aut *ex persvasione & imaginatione teneri timidiq; animi vetulam deformem, & qvandoq; horridâ notâ, ut Triballi & Illyrij geminâ pupillâ conspicui, insignem intuentis. Vnde timor oritur, qvi multorum malorum Causa esse potest. Et humor concitatus morbum erumpere facit,*

qvò

qvò Corpus dispositum fuit. Sic cibos fastidiosos ab aliis comedi videntes ad vomendum adiguntur, odore pyrorum, pomorum, rosarum, in deliqvium qvidam compelluntur, auditu visuq́ molestorum, ut demortuorum agnatorum aut amicorum, ad animi defectum alij inducuntur, ut ex Physicis & Medicis *notum: Sic hic pavor adspicientis sævo vetulæ vultu territi morbum inferre potest, unde fascinatus talis creditur. Hinc iratis oculis nocuisse Sagæ dicuntur. Observatâ enim facie motus in animo ad amorem, odium, metum, & simile sentitur, unde Corporis mutatio.*

27. Vel *casu aliqvo fortuito, aut constitutione Corporis fascinati contingit, qvod solito crassius, nitidius, pulcrius, habitius, ut in infantibus, esse potest, eoq́ ab occurrentibus attentiùs adspici, laudari, palpari, motitari, in palmos recipi solet. Forteq́ anus deformis & tetra est, & infans aspectu ejus conturbatur, inq́ morbum incidit.* Ita Hippocrates *habitum summè bonum periculosum esse,* l. 1. aph. 3. & Celsus *solito nitidiores suspecta sua bona habere debere dixerunt: Subitò enim ex optimo statu qvandoq́ dilabuntur, & in morbos incidunt.* Vel ori, *halituis, ac totius Corporis defluvio malignæ putridæq́ qvalitatis participi noxa Sagarum adscribenda est, nec intuitus, sed contagium â Sagâ communicatum lædit,* V. C. 8. t. 9. *Et talia effluvia etiam ex oculis ferri possunt, unde ophtalmia contagiosa interdùm, ut Gallica, & ab infantibus infirmis facile læsio hic suscipitur. Validiora tamen, & plura ea ex ore & Corpore prodeunt. Unde ad hæc noxa magus referri debet:* Vel deniq; omine *aliqvo dictis qvorundam inhærente totum perficitur, nec ideò, qvòd laudatur, aliqvid interit, sed qvia interiturum est, â Saga velut id*

præcipiente, laudatur. Sic *enim qvidam futura prævident, eorumq; animus initia rerum eventurarum persentiscit.* Sic *eversiones Vrbium, regnorum, familiarum, individuorum præcipuorũ, fermè suas prædictiones habent. Qvid si in Magis interdùm ex Sathanæ collusione simile qvid locum habeat, & florentium rerum interitum jam instantem præsagiant? Laudentq;* vel *more hominum, qvi obitura commendant:* Vel *expreßè prædicent, qvæ tacitè secùm devoveant?*

28. 23. Qvomodo fascinatio in infante agnoscenda & curanda sit? De hoc C. 11. t. 7. *agetur.* 24. Cur ita in infantes sæviant Magi? *Qvia* partim *hæc ætas ad resistendum impotentior, ad cavendum incautior, ad conatus deprehendendos, revelandos, aut accusandos inhabilior est:* Partim *materias maleficiorum qvandoq; è Corporibus talium desumunt, ut unguentum suum Magicum, qvod in Italiâ paganum vocatur:* Partim *Sathanæ eos sacrificare â Sathanâ jubentur, in eoq; mirificè Sathanæ complacitũ esse fertur,* V. Eundem c. l. Remig. l. 2. C. 8. 25. An & abripere infantes, aliosq; eorũ loco substituere, ac invicem permutare possint? *Et hoc in praxi Magorum vulgatum est, per dæmonem infantes abripere, & campsiones,* Wechselbälge/ Kielkröpffe/ Vielfrasse/ *eorum loco supponere.* V. C. 5. t. 10. *Posse id ab illis præstari* partim *natura rei docet, qvæ potestatem Sathanæ non superat, sed ei subjacet:* Partim *experientia confirmat, factum qvandoq; esse. Sic* Deſſaviæ *talis puer 12. annorum fuit, qvi 4. rusticorum cibos absumpsit, clamoribus, pedore, merdâ, omnia implevit, tandemq; post* $1\frac{1}{2}$. *annos obijt.* Item Halberstadij *aliqvis, qvi tandem super aqvam in Corbe latus cum ad Sathanam sub ponte in aqvis loqvere-*

tur,

tur, qvod nunqvam antea fecerat, â rustico cum corbe in fluentum projectus est, & cum altero Sathanâ tripudiavit. Et Odernheimij, *qvem mulier tandem in torrentem ad suasum Scholastici cujusdam Sathanam eum agnoscentis abjecit, ubi postea legitimum filium suum domi reperit.* In Silesiâ *ad Breslam etiam aliqvis fuit, qvi loco veri infantis â Sathanâ in fœnum repositus est, & cum virgis vehementer â matre cæsus est, verum infantem Sathanas reduxit, & campsionem abstulit.* Hildebrand. p. 106. seq. Goëtiæ. Confer Lutherum Colloq. mens. C. 24. Et Comm. ad C. 3. Gal. Gœdelm. l. 1. C. 7. n. 12.

29. 26. Cur in innoxiam ætatem ita grassari Sathanam â DEO permittatur? Partìm *ut impietatem parentum hoc modo in semine DEUS puniat:* Partìm *ut patientiam piorum exerceat, infirmitates castiget, defectus emendet, precum studium & serium affectum inflammet, accurata liberorum observationi & educationi occasionem suppeditet, agnoscendorum DEI beneficiorum ansam conciliet:* Partìm *ut filiorum impietatem futuram se prævidere ostendat, & se vindicem ejus futurum etiam pœnis in infantili ætate per Sathanam & Magos immissis demonstret.* 27. An hominis vitam prolongare, senectutem differre, vigorem naturæ conservare, & seni juventutem reddere Magi possint? *Si qvid naturæ aut artis beneficio hic fieri possit, id totum Sathanas, Physicus peritissimus, & per eum Magus præstare potest. Ut Calorem roborare, humidum augere, excitare, capillorum colorem immutare, rugas abolere, constitutionem Corporis vegetare, &c. Et qvod homini ignotum, Dæmoni cognitum esse potest. Et de qvibusdam animalibus, brutis & rationalibus, rejuvenescere ea, experientia Physica docet.*

30. *Ex brutis aqvilam renovari* Psal. 103. v. 5. *dicitur, & Physici testantur, ita vegeto Corpore etiam in senio perdurare, ut rostro superiore tandem inferius constringente inediâ eam emori necessum sit, cum per naturæ vigorem ultrà vitam continuare posset, nam nec senio, nec ægritudine deficit.* V. Aristot. 9. hist. an. C 32. Plinium l. 10. C. 3. Adrovandum l. 1. Ornithol. *Etsi de modo renovationis inter scriptores non conveniat.* Serpentes *tenui suâ leberide senectam exuere, & vigorem iterum induere notum est. Si in brutis id natura præstat, cur omne medium homini ad id ea velut parca aliqva noverca, negaverit? Ex hominibus qvosdam diutissimè vixisse, & vegeto robustoq; Corpore permansisse multis exemplis* dec. 2. Misc. d. 9. t. 22. 23. *ostensum est. Qvosdam ex senibus vigorem recepisse, etiam exempla docent. Desmondia Comitissa ter per vices dentiisse dicitur, ut* c. l. *dictum. Et exempla plura* Delrius l. 2. q. 23. *adducit. Apud* Poëtas *similia interdum occurrunt, ut de Bacchi nutricibus rejuvenescentibus ap.* Aeschylum, *de Iasone â Medeâ recocto ap.* Pherecydem & Simonidem, *de Aesone Iasonis Patre* Ovidius 7. *Metam. Vbi barba comæq; ait, canitie positâ nigrum rapuere colorem, Pulsa fugit macies, &c. Sed hæc fabulosa fortassis.* Voëtius *negat, Sathanam juventam restituere posse,* p. 1 dis. 48. t. 12. *Simile tamen qvid eum præstare posse, cum Natura id præstet, non facilè negandũ.*

31. Dices: 1. Sic & Dæmon *præstabit, ut senex non fuerit senex, juvenis qvi desiit, non desierit, & qvam qvis decurrit ætatem, non decurrerit, sed prorsùs alius homo prodeat.* ℞. Non, *hoc enim præteritũ non præt. & qvod fuit, non fuisse facit, qvod Contradictorium, eoq; nullius potestati subjectum, nedum Sathanæ.* Dec. 1. Misc. d. 5. t. 11. *Sed loco senectutis, qvæ fuit, vigorem Corpori juvenili parem Dæmon conciliat.*

De actib. naturalib. & moralibus Magicis in hominem.

Thesis XXXI.

2. SIc & in æternum hominis vitam prorogare poterit, si subinde ex sene juvenem conciliare qveat. ℞. Etiam non, nec si semel aut iterùm vigor restituatur, in æternum ac perpetuum restitui poterit. Et licet longævus homo post lapsum, mortalis tamen, ut mori tandem cogatur. Dec. 2. d. 9. t. 24. Et d. 10. t. 13. 14. Nec natura, qvæ annis 100. aut 200. perdurandis sufficit, statim 1000. sufficiet; Minùs autem æternitati. Tandem enim naturæ vis fathiscit, ut restaurari ampliùs non possit. Prolongari vita hominis poterit, perpetuari non. 3. Humidum radicale perpetuò consumitur, & ipsâ alimenti nutritione atteritur, qvia agendo repatitur. E. arte aut natura restaurari non potest. ℞. Neg. Conseqventia. In perpetuum restaurari non poterit, qvia semper aliqvid perit: benè in longum aliqvod tempus. Et si Medicis aut Physicis restaurandi illud via ignota est, non ideò Sathanæ ignotam esse seqvitur, qvi longè peritior & experientior Physicus homine est. Ac si viam novit, & applicare eam in homine permissu DEI poterit. Chymici medicamentis suis humidum instaurari, naturam in longum servari, vigorem retineri promittunt. In Paradiso arbor vitæ fuit, qvæ diutissimè hominis vitam fructu suo prorogare potuit, Gen. 3. v. 22. Cur non Sathanæ medium aliqvod ad id notum esse qveat?

32. 28. An stuporem & insensationem, inediæ

diuturnæ perlationem, longi temporis dormitionem, in homine conciliare possint? *Omninò. Nam & potestatem Dæmonis id non excedere natura docet, & factum qvandoq; esse exemplis experientia confirmat. Sic* Jamblichus *multos Prophetarum gentilium admoto igni non ustos esse, & tormentis subjectos nihil sensisse tradit*, d. myst. Ægy. *At illi Magi fuerunt. Ita Sagæ & Magi tormentis subjecti nihil se sensisse fassi sunt.* Vt Saga aliqva Brugis, *qvæ tortores irrisit, & dormivit, donec pili abrasi sunt, & schedula Conjuratoria ablata.* V. Gœdelm. l. 3. C. 10. Alia *Hagenoæ ex pulvere infantis assati secum habens nihil sensit aut confessa est.* Sprenger. p. 3. q. 15. *Fur aliqvis Romæ, Maga, & Carnifex Antvverpiæ, maleficiis indurati idem fecerunt.* Wierus l. 5. C. 12. *Lycanthropus aliqvis Westphalicus vicies tormentis subjectus ridenti similis omnia pertulit.* Delrius l. 5. s. 9. *Mummo Magus torturæ subjectus omnis doloris expertem se esse Regi nuntiari jussit.* Bodinus l. 4. C. 1. *Idemq; multi de Sagis affirmant, ut* Hippolytus, Paris, Grillandus, Damhuderius, Bodinus l. 4. C. 4. Delrius l. 3. q. 21. Remigius l. 3. C. 9. Wierus c. l. *Sic stigmatum illa tessera in Sagis à Sathanâ impressa ita sensus expers est, ut nec longissimæ acus fixura aliqvid doloris inferat. Remigius* l. 1. C. 5. Qvibus modis *insensationem talem procuret Dæmon*, Delrius c. l. *distutit.* Corpus occupando, sensuum meatus *obstruendo, stupefaciendo, vim torturæ avertendo, &c. Ita* inediam diutius ferre *Sathan etiam conciliare potest, cum naturaliter id in qvibusdam ex pituitâ lentâ ac viscosa aut simili pro alimento â Stomacho attractâ contigisse exempla doceant, ut puellæ* Spirensis, Anglicanæ, Sacerdotis Galli, *aliorumq;, qvæ*

ex Langio, Gemma, Alberto M. Bucoldiano, Delrio c. l. *aliisq; sumantur.* *Apud* Turcas *Neffesogliorij multis diebus jejuni perstant, & superstitionibus suis vacant.* Cigogna C. 6. De Somno profundo t. 24. *dictum est.* *De Epimenide & Sardoum Semideis fabulosum qvid est.* Delr. c. l. *33.* 29. An cutem invulnerabilem, & gladijs, globis pyrijs, telis, impenetrabilem reddere qveant? *Et hoc in praxi Magicâ freqvens est, per qvam aut ignotum interdum ejus commercium. & milites id agunt, Et* festmachen / hartmachen / Passawerkunst / Nothembd / *indusium Magicum, ac similiter vocant.* *Qvidam inferni canisiam appellant*, Delrius c. l. *Media ad rem adhibentur impia ac nefaria, ut arma incantare, Crucifixi imaginem compungere, hostiam consecratam certis characteribus signatam consumere, indusio aut vestibus insuere, periapta aut scripturas Magicas secum ferre, &c.* Patetq; experientiâ & exemplis, *Magicæ beneficio procurari in homine posse.* *Mulier aliqva septies gladio icta est, sed frustrà.* Juris *qvidam Candidatus, Qvirinus, membranâ Magicis Characteribus consignata fretus, sæpius audacter pugnis se immiscens & ictus, nunqvam saucius fuit.* *Tandem in Symposio Romæ an. 1573. minimo vulnere interemptus fuit.* Delrius c. l. Cigogna C. 8. *Magico indusio, qvod necessitatis vocant, superstitiosè in nocte Natalitiâ ab integris puellis Sathanæ nomine texto, multi nobiles, Principes, Cæsares, fisi sunt, eoq; in bellis contra ictus telorum & globorũ usi sunt.* Wierus l. 5. C. 18. *Comes aliqvis Germanus Nobili cuidã Schedam Magicam dedit, cujus ope ab omni vulnere tutus esset.* *Qvi globis & gladiis freqventer ictus illæsam cutem retinuit, ejusq; virtutis schedam esse asseruit, ut*

globos tormentis excussos aperto ore sine periculo excipere, & nudum pectus omnibus gladiis sine metu objicere vellet, Boissardus d. Magia. C.6. *Qvi se id vidisse addit.* Haraldus *Danus â dæmone obtinuit, ut invulnerabilis esset. Ipse animas occisorũ iterùm Dæmoni promisit.* Ajax *Telamonius toto Corpore invulnerabilis fuit, axillâ exceptâ.* Achillem *Thetis Mater Stygiis undis demersit, ut invulnerabilis esset, calcaneo excepto.* Cæneum *in vitâ invulnerabilem fuisse fama sparsit.* Zuingerus Vol. 2. l. 5. Beyerli. Voc. Impossibilitas. *Tyllium in pugnâ Lipsiensi Anno 1631. ignarum â Iesuitis cute duratum fuisse qvidam putant, cum paludamento detracto 3. plumbeæ glandes ei humi deciderint, & ictibus qvibusdam percussus fuerit, ut* Gebhardus Orat. d. Gustavo *tradit.*

34. Qvâ ratione impenetrabilitatem illam Sathanas conciliet, *haud facilè explicatur.* An *impetum globi retundat, qvando ad Corpus venerit, ut ultrà progredi non possit?* An *seipsum aut aliud qvid inter Corpus ad globum vel ferri aciem interjiciat, ut ultrà penetrare non qveat?* An *aciem teli aut gladij retundat, vel hebetet, ne penetret?* An *cutem induret, ne telum admittat?* An *arcanum qvoddam naturæ adhibeat, qvod vim infringat? Qvomodo Scaliger arboris in Iavâ meminit, cujus medulla ferrea sit, ex qvâ, qvi frustum gerat, ferro impenetrabilis sit*, Ex. 181. f. 27. *Et herba victorialis gerentem â vulnere tutum præstare dicitur,* ap. Hildebrand. l. 1. Mag. nat. C. 29. *Et Tyrii ab Alexandro M. oppugnati macerante aliqvâ materiâ ad muros Vrbis dispositâ universum catapultarũ & lapidum impetum putridum reddiderunt ac infregerunt, ut parum profuerint illi,*

ut Diod. Siculus *l. 17. Bibli. memorat. Qvam ex Corrosivis ac Saxifragis rebus, qvibus Tyrus abundavit, congestam fuisse credibile est. Qvanqvam* Curtius *in Obsidione* Tyri l. 4. C. 2. 3. 4. *nihil de isto prodiderit.* An *alio modo procedat, qvi nobis ignotus? Ad naturam & artem talia qvidam referre volunt. Sed Naturâ Cutis hominis mollis, eoq; â duro incutiente penetrabilis est, & naturalis artis esse posse nondum hactenùs liqvidò constare potuit. Deum autem miraculosè hic operari præsumi non debet.*

35. 30. An & arma hominum excantare possint, ut sclopeta, ne globos emittant, gladios, ne è vaginis extrahi possint? *Qvidni? Nam & potestati Sathanæ id subjacet, eoq; â Mago per eum effici potest: Et experientia factum esse attestatur. Sic Comes, de qvo* t. 33. *si foramen tubi tormentarij priùs conspiceret, qvàm ignis admoveretur, verbis qvibusdam pronuntiatis nec flammam sulphurem corripere, nec globum ultra tubi oram procedere posse se facturum dixit.* Boisard. c. l. *Gentiles Magico carmine gladii aciem sic retundi putârunt, ut nec levi vulnere cutem perstringere posset. Milites se â gladiis & globis tutos vanis mediis putant,* V. t. 33. Delrius q. 21. *Qvandoq; ita Magi arma incantant, ut usurpantibus perniciosa sint. Sic Monachus gladium & pugionem dæmonibus incantanda tradidit, per qvæ Carolus Rex ita infectus, ut primò ungues & pili ipsi deciderent, postea sine sensu & vitâ corruerit, & vix ad se reverti qviverit.* Beyerling. Polya. voc. maleficium, p. 206.

31. An præsentia occultare, ne sentiantur, se aut alios invisibiles reddere possint? *Et id Magis adscribitur, ac per præstigias fieri posse, & exemplis factum esse constat. Sic*

Apollonius *momento disparuit*, C. 4. t. 18. *Idem in Tigellini libello, qvo accusatio ejus continebatur, effecit, ut nullâ in parte scriptus liber inveniretur*, Beyerling. V. Miracul. p. 546. *Bajanus Bulgariæ Rex se invisibilem exhibuit*. Tholosan. l. 34. C. 16. n. 5. *Perseus à Minervâ Clypeum accepit, qvo non videri potuit.* Alii *Orci galeæ à Nymphis acceptæ id tribuunt.* Gyges *Lydorum Rex, ubi annuli sui fundum ad palmam convertit, à nemine videri potuit, ipse omnia vidit.* Cæl. Rhodigin. l. 6. Ant. Lect. C. 11. Beyerling. Poly. Voc. Impassibilitas. *Sicidites Magus conspectum eorum, qvæ pro oculis, eripiebat.* C. 4. t. 19. Plinius *Sinistro pedi Chamæleontis cum simili herba furno tosto & in vase gestato tribuit, præsentem non videri*, l. 28. C. 8. *Sed rectè* Gellius l. 10. N. A. C. 12. *deridiculæ vanitatis id esse ait. Plura ap.* Remigium L. 3. C. 7. 8. aliosq; *vide.*

36. 32. Qvid in animam, intellectum, voluntatem, affectum, & sensum hominis Magi possint, an scientias inserere, memoriam conferre, voluntatem cogere aut commovere, sensus turbare possint? *Sensus internos & externos variè afficere possunt*, C. 4. t. 18. 19. *Non tamen impossibilia formare, ut e. g. cæcus natus verè de coloribus, qvi nunqvam audivit, verè de sono in phantasia judicet, qvamvis phantastica Corpora objicere, aut ex speciebus antea perceptis commistam aliqvam speciem, ut Chimæram, Centaurum, aureum montem, repræsentare qveant.* Qvoad affectus *per phantasiam eos concitare, læta aut tristia, qvæ nec visa, nec fuerunt, commovere, ex humorum perturbatione varias phantasiæ species offerre, appetitum sensitivum irritare, Venerem, iram, odia, amores, metus, terrores, lætitias*

ex

ex objectis qvibusdam concitare, peccata etiam invitis nobis excitare, ut Gœdelmannus & Danæus *rectè affirmant, & vanè* Delrius q. 24. *negat, cum de peccati ratione non præcisè sit, voluntarium esse, sed ἀνομίαν*, 1. Joh. 3. v. 4. *Et qvædam subitò commota rationem ac voluntatem præveniant, Itemq; ignorantiæ peccata, qvæ tamen peccata dicuntur,* Lev. 5. v. 2. 3. 17. Psl. 19. v. 13. Psl. 90. v. 9. *similiaq; possunt.*

37. Qvoad intellectum ac rationis vires, *possunt scientias artesq; hominem docere, secreta manifestare, memoriam & dispositiones ejus roborare, functiones intellectus, judicium, acrimoniam, dexteritatem, per commodiores Organi dispositiones intendere, si à DEO permittatur. Sic idiotam qvendam subitò Scripturæ peritum Magus reddidit. Anabaptistæ qvidam & fanatici sumptione cibi aut potus Scripturæ scientes redditi. Qvidam liqvore infantum potionatus, sectæ & scientiæ Magicæ compos evadit, ut Vir & mulier confessi ap.* Niderum l. 5. formicar. *Plura* Delrius c. l. *habet. Sic de spiritib. familiarib. simile qvid,* C. 12. t. 1. Qvoad voluntatem *cogere eam invitam nullus Dæmon potest, eoq; nec Magus, sed flectere & commovere, objecto ut odibili aut amabili proposito, visis & cogitatis excitatis, appetitu sensitivo inflammato, perq; eum voluntate allectâ, consiliis, suggestionibus, svasionibus, tentationibus, pollicitationibus, similibusq; permovere possunt. Ita Sathanas ipsorum Magorum animum interdùm indurat, ut de sceleribus suis nullo modo pœnitere velint.*

38. 33. An animam alicujus verè è Corpore abripere dæmon, & ad Corpus iterùm deferre possit? *De Ecstasi Magorum id jactitatur, sed vanè, ut* C. 4. t. 1. 2. seq.

ſeq. *viſum. Qvod in ipſis Magis præſtare non poteſt Dæmon, minùs in aliis præſtabit.* 34. An ſeparare eam à Corpore poſſit, ut vera mors ſeqvatur? Si *DEVS permittat, omninò id poteſt. Sic enim & primogeniti Ægypti per angelos malos interempti,* Pſal. 75. v. 50. 52. *Et in exercitu Sanherib 185000. homines unâ nocte angelus occidit,* 2. Reg. 19. v. 35. *Qvem malum angelum fuiſſe multi cenſent, ut* in Michaël. t. 76. *dictum. Et Aſmodeus aliqvis 7. maritos Saræ,* Tob. 6. v. 15. *Et Iobi liberos Sathan necavit,* Job. 1. v 19. *Et multos maleficiis qvotidiè occidit,* t. 13. ſeq. 35. An verè mortuos iterùm in vitam reducere poſſint? *Et hoc Magi ſibi ac Dæmoni ſuo adſcribere volunt.* V. C. 4. t. 8. 19. 22. *Empedocles apud* Laertium l. 8. *Xantus, Iuba, aliiq́ id fieri contendunt, factumq́ à Magis interdùm referunt. Vnde cadavera Diabolus interdum aſſumpſit, commovit & vegetavit,* t. 22. c. l. *Verius contrarium eſt, & ſoli DEO mortuos verè in vitam revocare reſervatur. Patet* 1. Scripturâ, *ubi notanter id DEO adſcribitur, & idolis, Sathanæ, ac Creaturis universìm negatur.* Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6. 2. Reg. 5. v. 7. Sap. 16. v. 13. *& alibi.* 2. Ratione. *Qvia mortuos reſurgere inter fidei Chriſtianæ articulos eſt, ut è Symbolo conſtat. At hæc myſtica & divina ſunt, non Magis aut Sathanæ communia.*

39. 3. Qvia mortuos reſuſcitare verum miraculum eſt, qvod totius naturæ & artis vim tranſcendit, ut patet. Sed miracula facere ſolius divinæ virtutis eſt, qvam ex illis ut Chriſti & Apoſtolorum factis immotè colligimus, Joh 3. v. 2. Rom. 15. v. 19. *Et communis Th. & Philoſ. hæc eſt ſententia.* Dices 1. Poſſet Diabolus, *ſi DEVS permittat; damnatam aliqvam*

aliqvam animam suo imperio subjectam cogere, ut cadaver suum, â qvo exiisset, subiret, illudq́; moveret & vegetaret. E. & mortuum resuscitare posset. Nam hoc ipsum tale qvid est. R. Non id posset Dæmon, *nec in animas tale ipsi Imperium, ut è sedib. suis, sivè beatæ illæ, sivè damnatæ, eas excire, & in hanc vitam reducere, aut Corporibus suis redunire poßit. Piorum enim animæ in manu DEI sunt*, Sap. 3. *Vnde eas nemo nisi DEVS ipse reducere potest: Impiorum in loco suo torturæ sunt*, Luc. 16. v. 28. *Ex qvo etiam non liberantur, nec in hanc vitam redeunt*, v. 29. c. l. *Itaq́; qvocunq́; loci post mortem anima humana devenit, ibi manet, nec â vi creatâ inde reduci potest.*

40. 2. Multa exempla *resuscitatorum â Magis dantur, ut* Tyndareus, Glaucus, Admetus ab Æsculapio *suscitati*, alii *ab Apollonio, Simone Mago, aut aliis suscitati sunt. Sic Eres Armenius ap. Platonem* l. 10. d. Rep. *Gabienus &* alii *ap.* Plininm l. 7. C. 25. *Sic puella Bononiensis velut viva reducta*, C. 4. t. 22. *Et Lucomorienses reviviscunt*, C. 8. t. 13. *Plura* Boisardus d. Magi. C. 7. *habet.* R. Vel *hæc & similia tota fabulosa & conficta â Poëtis sunt, ut de Ere Armeni. , Tyndareo, Glauco, Adimeto, & Lucomoriensibus &c.* V. c. l. Vel *verè qvidam mortui non fuerunt, sed Syncope, deliqvio, hystericâ, suffocatione, sideratione, Caro aut simili affectu correpti occupatiq́; ubi vita excesse videtur, cum adsit, ut* Gabienus, Zaclas, Enarchus Plutarchi, *puella Apollonii:* Vel *præstigiæ & illusiones Diabolicæ fuerunt, qvib. Sathanas cadavera subiit, ut* C. 4. c. l. Vel *alia pro illis substituit, oculos perstrinxit, vel aliter egit.* V. c. l. t. 19. *Idem de Lucomoriensibus habendum, apud qvos fre-*

qventes præstigiæ, C. 8. c. l. *Qvantum Natura hic potest, tantum per vim ejus Sathan. Sed illa eadem specie reducit, non numero, ut flores, triticum, &c. Vnde resuscitationem hominis moliri neqvit.*

41. 36. An in Cadavera demortuorum aliqvid Magi possint? *Qvando à DEO permittitur, possunt ea in illis exercere, qvæ aliàs in Corporalia possunt, itemq́ prodigiosa & communem naturam superantia qvandoq́ circa ea conari. V. g. A putredine præservare, qvomodo fulmine ictorum corpora non putrescere dicuntur. Et qvomodo æs, aromata, aliaq́ diu à corruptione præservant, eoq́ Ægyptiis in sepeliendo adhibita.* Camerar. C. 1. C. 14. & C. 2. C. 71. *Vel combustionem ad tempus impedire, qvomodo Cor Cardiacorum aut intoxicatorum comburi non potest,* Plinius l. 11. C. 38. *Aut hæmorrhagiam ad præsentiam occisoris conciliare, qvomodo id alias contingere scimus,* V. C. 12. t. 1. *Aut pilos & ungues in demortuo adaugere, &c.* 37. An spectra & lemures commovere possint? *Et id potestati Sathanæ subjectum est, eoq́ & à Magis effici potest, ac sæpè talia in locis qvibusdam excitari freqvens experientia testatur. Exempla* ap. Grosium p. 1. seq. Munsterum de Spectris, Tholosanum l. 34. C. 19. Cigognam l. 3. C. 9. 10. Rivandrum in Chron. festiv. die Michaëlis, Melandrum p. 1. Jocos. C. 374. 375. 448. 449. seq. Thyreum d. Spir. apparit. Zuingerum Vol. 5. l. 4. & Vol. 3. l. 6. Beyerlingium Voc. Spiritus, p. 308. seq. *aliosq́ prostant. Hinc alastores, fauni, Satyri, Hecate, Pluto, Charon, cohortes militares, aliaq́, qvæ meræ spectra.* V. Delrium q. 27.

42. *Neq́ hic* vel ad defectum, *ut omnia spectra negentur*

gentur & irrideantur, ut Democritus Abderita *fecit*, Camer. C. 1. C. 72. Vel ad excessum *declinandum, ut etiam naturalia, veluti ligna putrida & cicindelæ in tenebris lucentes, ignes fatui, capræ saltantes, capilli ardentes, vel automata & similia, aut Magnetica pro spectris ac Sathanicis habeantur, vel melancholica deliria, vel DEO aut Angelis bonis tribuenda, cum sæpè impia & enormia intercurrant, sed Natura, ars, DEus, à Magicis distinguenda sunt. Sic cum manes evocant & responsa dant, ut Pythonissa Samuelem, Canidia & Sagana.* V. Horatium L. 1. S. 8. Beyerl. Voc. Miraculum. Zuinger. Vol. 5. aliosq;.

43. 38. An animas mortuorum hominum verè repræsentare possint, ut viventibus post mortem iterùm appareant? *Affirmant isti, qvi animas mortuorum verè in hac vitâ viventibus apparere ajunt. Vt Pontificii communiter.* Thyreus d. Spirit. apparit. l. 1. C. 11. seq. Peltanus d. purgat. Bellarminus l. 1. d. purg. C. 11. Delrius l. 2. q. 26. *Vbi prolixè per singula secula apparitionum animarum exempla adducit, variasq; pro illis rationes congerit.* Patres *qvidam in illis percensendis approbandisq; interdum nimii sunt, ut* Greg. Nyssenus, Turonensis, Beda, Hieronymus, Ambrosius, Paulinus, aliiq;. *Qvod ex Papistis ipse* Canus l. 11. L. C. c. 6 *fatetur. Et* Baronius *Turonensi simplicitatem tribuit, qvòd multa aliter, ac veritas habet, scripserit.* An. 109. n. 49. *Et qvicqvid de DEI aut beatorum spirituum apparationibus sit, qvod latiùs* alibi *deducendum: Sathanam & Magos defunctorum Spiritus verè iterùm sistere falsum est.* Vel enim beatorum Spiritus essent, *at illi in qviete suâ sunt, E qva à Sathanâ convelli non possunt:* Vel

damnatorum, *qvi in loco suo torturæ sunt, è qvo à Sathanâ in hunc orbem reduci neqveunt*, t. 39. *Qvicqvid ergò hic præstari videtur, Sathanæ* illusiones ac præstigiæ *sunt, qvibus imponit, & Sathan ipse sub specie animæ apparet; qvomodo sub specie Christi, Angeli boni, Eliæ & aliis apparuit, ut exempla paßim prostant, & ab ipsis* Pontif. *interdùm adducuntur.* V. Corn. à Lapide in 2. Cor. 11. v. 14. Delrium, c. l. s. 1. *Recteq; hoc confitetur* Binsfeldius d. Confess. malef. d. 1. Conc. 3. p. 81. Vel *aperta commenta hominum sunt, & apparitiones nunqvam visæ aut factæ, qvod ipsi Cordatiores Papistarum confitentur.* V. Canum c. l. Baron. c. l. *Ac multi Patres istas animarum apparitiones incertas & suspectas habent, ut* Augustinus L. d. cur. pr. mort. *Multi in totum eas negant, ut* Justinus q. 75. Chrysostomus Con. 2. 4. d. Lazaro, & hom. 29. in Matth. Cyrillus in Johan. l. 10. C. 4. L. 11. C. 36. *aliiq;, ut pleniùs alibi docetur.*

CAPUT X.

De actionibus Magorum in hominem magis moralibus.

SIc *&* actus Magorum in homines magis naturales *fuerunt*; Seqvuntur, qvi magis morales videri qveant, *illisq; magis aßimilentur. Talia sunt* gratiæ, favoris, honorum apud proceres, divitiarum, formæ, conciliatio, *Victoriarum in bello procuratio, amorum ac odiorum excitatio, famæ oblæsio, &c. De qvibus qværitur* 1. An Sagæ artibus suis gratiam procerum, honores, divitias, aut formæ pulchritudinem conciliare possint?

possint? *Ingens hæc motiva est, quâ Sathanas homines ad se trahit, quòd favores, divitias, honores, promittat, ut ex Sagarum Confessione patet.* V. Bodinum l.2.C.8. *Quod Magus quidam ipse aliquando fassus est, ut idem C.3. narrat. Sed pleraq; vana esse, parumq; à Magis hic præstari posse patet,* 1. Quia odium, *amor, & favor, voluntate, familiaritate, notitiâ, similitudine, usuq; hominis conciliantur, quorum fundamentum quidem à naturâ & inclinatione est, complementum tamen à morali quodam principio, ut cum bonum, utile, cognatum, nobis judicatur, ad id proseqvendum, cum noxium, dissimile, ad fugiendum permovetur homo. Ubi ratio talia agnovit, modos invenit & parat, quibus rei judicatæ se applicet aut ab eâ abstrahat, & voluntatem velut suorum executricem exsuscitat. Hæc ergò cum è naturâ & ratione ortum habent, nihil ad eâ Magorum deliramenta faciunt, frustraq; illis adscribuntur.* 2. Qvia *gratia procerum, honores, opes, DEO largitori tanqvam dona ejus in sacris adscribuntur,* Gen. 31. v. 24. 29. Gen 39. v. 4. 21. Exod. 3. v. 21. C. 11. v. 3. C. 12. v. 36. Act. 7. v. 10. Eccles. 2. v. 26. C. 9. v. 11. 1. Sam. 2. v. 30. *Et passim. Non ergò à Magis talia expectanda.*

2. 3. Qvia ipsi *Magi & Sagæ passim invisi, & in omnium odio sunt, ut experientiâ constat. Et utcunq; præstigias eorum ac oblectamenta interdum Magnates æstiment ac admittant, Magiam tamen & Magos plerumq; abominantur. Iidem vilissimi & contemptissimi sunt, ut sibi ipsis honores parare, nedum aliis, non possint. Qui Magicis ad honores pervenisse dicuntur, ut Pontifices qvidam, ut communiter sentitur,* C. 3. t. 13. *Et* Marchio Ancræus *in Gallia, qvi*

 an. 1613.

an. 1613. incantamentis effecisse fertur, ut in maximâ reginæ gratiâ esset, omnesq́ Principes præ ipso parvi essent, Regem & regnum in potestate habuit, ærario usus, & leges pro arbitrio fixit ac refixit. Cluverus Epit. histor. ad an. 613. Vel *illi ab osoribus tantùm ita describuntur, & aliis artibus, Philosophiâ, ambitu, Simoniâ, eò devenerunt, ut* Delrius l. 2. q. 12. & Bodinus l. 3. C. 3. *ostendunt:* Vel *honor constans non fuit, & de sede dejecti, aut aliàs â Sathanâ more suo agente elusi sunt, ut in aliis contigit. Vt Nerone*, V. C. 3. t. 2. Divitias tantum abest, *ut aliis conciliare possint, ut ipsi pauperrimi sint, & plerumq́ præstigiis â Sathanâ dementententur, ut pro pecuniis scruta & qvisqvilias â Sathanâ accipiant,* C. 4. t. 19. *Ac ipsi fatentur, se ne obolo â Spiritu ditari, ut qvidam ap.* Bodinum l. 2. C. 3. *Qvidam postqvam Magicis se addixerunt, ê divitibus in paupertatem præcipitati sunt, vitamq́ inopiâ consumpserunt,* Idem l. 3. C. 3. *Thesauros, qvos terrâ abditos interdùm Sathan ostendit, magnam partem præstigiosos esse constat. Sic Apollonius thesauros frustra qvæsivit.* V. C. 7. t. 21. Si *verè hic aliqvid Sathanas interdum præstat, decies iterùm fallit.* V. Beyerling. V. miraculum p. 548. *Et si qvid hic posset, maximè impiis suis pecuniam, belli nervum, suppeditaret, & sic perpetuas bellorum segetes moveret, pios profligaret, omniaq́ commoveret, nisi DEVS extra ordinem succurreret.* Venustatem *similiter â Sagis expectare irritum est, cum deformes, fœtidæ, ac turpes ipsæ sint, nec Sagam venustam â se visam* Cardanus *testetur, nec ulla faciem sic fucare potuerit, ut speciosior apparuerit, sed verè vulgò dicatur,* Deformis, ut Saga. V. Bod. c. l.

3. 2. An victorias in bello procurare & largiri qveant?

qveant? *Negat* Bodinus l. 3. C. 4. aliiq;. *Verùm cum victoria pugnas reqvirere soleant, in qvibus robur, animus, impetus, celeritas, dolus, industria, multum possunt, eaq; â Magis & Sathanâ permissu DEI conferri, concitari, augeri in homine possint, qvomodo qvædam eorum Naturâ aut arte conciliari posse novimus, ipsiq; Magi robore per vim Sathanæ multum pollentes prælÿs interesse, pugnare, hostes prosternere, armorũ hostilium vim incantare, & globorum impetũ retundere,* C. 9. t. 33. 35. *possint, & hic aliqvid agent. Et hoc historiæ factũ quandoq; referunt. Sic* Oddo *Danus Magicis mediis Normannos,* Bulgari *Anastasium, & Romanos,* Tartari *Polonos,* Hunni *Francos,* Megarenses *Persas, Haqvinus Danos, Romani Qvados, alii alios vicerunt. Historiæ ap.* Delrium c. l. q. 12. Grosium p. 1. Magic. p. 22, 99. seq. Zuingerum Vol. 5. l. 4. Beyerlingium Voc. Miraculum p. 549. Boisardum d. Magi. C. 6. aliosq; *prostant. Apud Tartaros Vexillarius qvidam cum suorum aciem inclinatam vidisset, hostes ingenti aëris opacitate involvit, & penè ad internecionem cecidit.* Remigius l. 3. C. 12. *In Mauritaniâ an. 1613. ingens Marocci Regis exercitus parvâ Magi manu stratus est, donec ab alio Mago ille iterùm devictus, & Rex Marocco vicissim potitus est.* Cluverus Epit. hist. an. 613. *Victorias â DEO esse Scriptura ait,* Psal. 144. v. 10. Prov. 21. vers. 31. 2. Macc. 15. v. 21. *Originaliter, & ut â primo boni omnis fonte. Sed media hic includi debent. Qvæ cum & â Magis adhiberi sinit DEUS, justa judicia exercet, & cur sic ferri sinat, causas semper habet, etsi nobis incognitas. Sic tempestatibus Magicâ vi excitatis qvandoq; victoriæ comparatæ, ut historiæ docent. Eas autem â Magis inferri posse* C. 7. t. 9 12. *visum.*

visum. Sæpè *tamen comparare eas non potuerunt. Vnde à Veterib. annotatum, ex duobus inter se proelio decertantib. eum occumbere, qvi Sathanam & Magos adhibet. Sic* Pompejus *Magos consulens cecidit.* Ariovistus *à Cæsare, qvi Sagas ridebat, fusus est. Alius Princeps per Magos castra hostium videre volens miserè profligatus est.* Bodinus l. 3. C. 4. *Et Christianus eos adhibere in bello non debet, sed DEO confidire.* Sic Allobrogum *Comes Magum arcem Neapolitanam promittentem capite feriri jussit. Et Innocentius Papa Magos obsidione Romam liberare volentes urbe pulit.* Delr. c. 1. *Et Romani in bello Cimbrico, cum Saga qvædam certissimam victoriam suis medijs polliceretur, eam tamen Senatus adhiberi noluit.* Dion & Plutarchus in Mario.

4\. 3. An amorem vel odium in certa subjecta conciliare qveant? *Vulgò per philtra ac maleficia, & incantantiones, id facere posse putātur, tàm Vetustioribus, ut* Plinio, Luciano, Juvenali sat. 6. Tibullo, *qvàm recentioribus, ut* Ficino, Pomponatio, Cæl. Calcagnino, Grillando, aliisq;. V. Delrium l. 3. q. 3. Tholosanum l. 34. C. 12. Wierum l. 3. C. 39. 40. *& alios, qvi negant eos id posse. Media, qvæ partim ex verbis, partim rebus & ritibus ad ea adhibent Magi, iisdem authoribus recensentur. Qvantum per philtra naturalia aut artificialia in homine hic effici potest, tantum & Sathanæ ac Magis non negandum. Humores turbare, semen augere, irritare, corpus accendere, Spiritus incitare, libidinis stimulos ingerere, flatulentiam, pruritum, calorem, conciliare, phantasiæ aliqvid, ut elegans, appetendum, amandum, objicere, concupiscentiæ motum succendere, & sic sensitivum amorem Sathan per Magos excitare potest.*

5\. Sic

5. *Sic enim* & in sacris *meretricis patrona sive Domina maleficiorum mentio est*, Nahum 3. v. 4. *Quorsùm & Baruc.6.v.42. de mulieribus furfures succendentibus* Delrius *refert, quasi* τὰ πίτυρα *ossa olivarum, h. e. olivæ minutæ duriores & penè ossea sint, quas mulieres istæ ad inescandos Viros adoleverint, quanquam & hæc sensum longè alium habere queant:* Et ratio id docet, *Cum naturalia media hic aliquid possint. Magis per ea Dæmon & Magus ea poterunt:* Et exempla *quandoq́; sic in motus inordinatos ductorum, aut talia adhibentium, ut* Antonii Triumviri, Marci Cypriani, Basilii, Sethi, aliorumq́; *id docent*, ap. Delrium c. l. Et Binsfeld. in Cod. d. malef. l. 4. q. 1 Beyerling. V. miraculum, p. 540. *Sic Proterii filia Magicis coacta, ut servo Patris nuberet, ut in vitâ* Basilii *traditur: Et â* Vincentio in speculo hist. Ac Nidero C. 5. formicar. *recensetur. Et variæ authoritates* Juris Civilis Cod. d. malef. l. 4. V. Binsf. c. l. Theologorum, Philosophorum, & JCtorum idem testantur. Delr. c. l. *Voluntas tamen invita cogi â Magis nullo modo potest. Et per philtra sæpè pro amore furor, ut Caligulæ*, Sueton. in Cal. C. 50. *Pro affectu insania, temperie morbus, inducta. Vt rectè* Ovidius: *Philtra nocent animis vimq́; furoris habent. Exempla* Delrius *congessit. Et sæpè Magicis ad amorem inducendum nihil profectum est, ut â Cypriano adhuc Mago* ap. Nicephorum l. 5. C. 27. *Et* Basilio *Mago* ap. Gregorium l. 1. dial. C. 4. aliisq́;.

6. 4. An famam lœdere possint? *Variis modis id possunt.* Partim *præstigiis & sensuum delusionibus, quomodo Triscalanus Curioni breviarium ferenti chartas lusorias apparere fecit, unde confessus iste*, C. 4. t. 18. *Et Dæmon Sylvani*

speciem assumendo mulierem comprimere voluit, unde infamia ad Sylvanum Episcopum derivata. Sprenger. p. 2. q. 1. C. 11. Partim *innocentes in conventibus suis sistendo, si id DEUS permitteret*, C. 4. t. 23. Partim *Sagas per imagines sistendo, quæ reverâ aliàs absunt*, c. l. t. 15. Partim *occulta peccata revelando, quæ per Sathanam cognoscunt, quomodo interdum furti authores designant:* Partim *falsò criminis aliquem insimulando, ut in Germaniâ cuidam ap.* Belvacensem l. 25. C. 37. *Et Dorotheo* ap. Surium 5. Jan. *contigit. Itemq; Leoni Basilii filio,* V. Zuinger. Vol. 5. l. 4. 5. An ex Carceribus captivos liberare, fugientes sistere, fures indicare queant? *Et id DEO permittente queunt. Sic Dæmon peregrini formâ ad Fridericum Austrium in Bavariam Magi rogatu profectus eum liberare voluit, & nigrum equum inscendere jussit. Sed dux renuit, & signo crucis se signavit. Anno 1323.* Trithemius in Chron. Hirsaug. *Apollonius cippum artubus Romæ in carcere exuit. Saga S. Probæ ê cippo se exire posse dixit, & ipsa sibi manicas exuit, quod ars humana neqvisset.* Zuingerus c. l. *Nobilem aliquem dæmon servi specie ê vinculis cum compedibus & catenis abripuit, & per aërem asportavit, donec DEI nomen inclamantem in arundinem dejecit, unde ab uxore domum est per famulos deportatus.* Cigogna l. 3. C. 10. *Fures quandoq; indicatu Sathanæ, qui novit, indicant. Ritus, deliria, anathemata, quæ adhibent,* ap. Wierum l. 5. C. 5. 6. *vide. Quandoq; & fallunt, & à Sathanâ falluntur, cui innoxios in famæ læsionem præcipitare voluptatis est. Sic Turcæ servos adiurationib. retrahunt.* Wier. l. 4. C. 2.

7. 6. An Judicibus nocere, aut justitiæ ministros lœdere possint? *Quidam peculiari privilegio eos exemptos*

censent

censent, ut â Magis lædi non poßint. V. multis Bodinum l. 3. C. 4. *Idemq́;* Grillandus q. 7. Ananias l. 4. d. Dæm. Remigius l. 1. Dæm. C. 2. Sprengerus p. 1. q. 18. P. 2. q. 1. Niderus C. 4. formic. aliiq; *tenent. Id multis Sagarum testimoniis firmari* Sprengerus & Niderus c. l. *ajunt. Sed* verius oppositum *est, & Iudices etiam lædi â Magis posse, si â DEO permittantur, dicitur. Qvod patet* 1. Ratione. *Qvia in ipsum Christum Diabolorum & hominum Iudicem constitutum, potestas Sathanæ per Pharisæos & Iudæos multum potuit, ubi DEUS permisit, ut & ad Crucem tandem eum raperet.* Act. 2. v. 23. Luc. 22. v. 53. Joh. 19. v. 11. *Et â Sathanâ tentari ac circumduci se passus est Christus,* Matt. 4. *Sic Iobum principem & Iudicem fuisse constat, & tamen mirificè bonis & Corpore ille â Sathanâ exagitatus fuit,* Job. 1. 2. 2. Exemplis. *Qvia carnifices in ipso rogo â Sagis leprâ interdum percußi sunt,* C. 9. t. 15. *Stadelein Magus tremore Captores suos affecit, & fætore abegit.* Niderus c. l. *Parisiis famosius Magus Goninus ad patibulum damnatus, sic Iudicibus illusit, ut ipsius loco primi præsidis mulam patibulo appensam viderint, & ipse Iudicio supervixit.* Delrius l. 3. p. 1. q. 5. *Pompejopoli qvidam maleficus permissu Inqvisitoris se in carcere inungens statim in aërem ê carcere sublatus fuit.* Idem l. 5. f. 7. *Alius suspendendus loco sui fasciculum straminis ad furcam pendere fecit. Sæpè Iudices injustos ac perperam multa designantes sic â dæmone impetitos fuisse constat, ut necem non evaserint, ut* Ananias l. 4 c. 1. *docet. In oppido qvodam Prußiæ Magus aliqvis comburendus cum Consulis filia, cum qvâ sæpè rem habuit, fasciculo serici in altum sublatus nuspiam postea comparuit.* Henneberger p. 477. Chron. Pruss. *Sagæ*

Iudices ad misericordiam inflectere possunt, si priores oculos in eos conjecerint. Qvod exemplis probatum esse Bodinus c. l. *fatetur. Et ostendit* Sprengerus p. 3. q. 15. *Qvare curandum docet, ut aversâ facie ad Iudices introducantur, ne prius Iudices ipsæ videant, qvàm â Iudicibus videantur. Conf.* Eundem p. 2. q. 1. C. 12.

8. Dices 1. Sic in *ipsum DEVM juris aliqvid Sathan & Magi haberent, Iudicium enim DEI est,* 2. Chron. 19. v. 6. *Et Iudices DEI loco in judicando funguntur.* ℞. Non seqvitur. *Etiam Christus DEI loco fuit, ut â DEO missus, & unigenitus ejus filius. Et tamen potestati tenebrarum ad tempus subjici, ac â Sathanâ tentari â DEO permissus est,* t. 7. *Nec inde juris aliqvid Sathanæ in Christum. Si absolutè id Sathan posset, etiam renitente ac impediente DEO, tum jus aliqvod hinc colligi posset. Nunc* omnia tantùm permissu DEI potest, *& facto talia occupat, etsi juris nihil in res interdùm habeat. Sic Iobum & Christum afflixit, in qvos jus non habuit.* 2. Omnes Malefici *id fatentur, qvòd incarcerati nihil â Sathanâ subsidii habere poßint, secùs & è carceribus effugerent, ac ministros & Iudices se perseqventes occiderent.* ℞. Confessio *ista nec uniformis ac perpetua est, nec rei ipsi semper respondet, cum sæpè facta contraria fuerint, & ex carceribus evaserint, ut* Apollonius, *vel Carnifices in ipsis rogis lethaliter infecerint, vel in patibulis pro seipsis mulas aut stramenta appendi fecerint,* t. 7. *Eoq; non absolutè tali confeßioni credendũ. Et experientia particularis est, ac qvandoq; Iudices lædere non potuisse probat. Interdùm autem fallit, & læsisse aut commovisse eos aliis exemplis constat, ut non simplici decisione, sed distinctione hic opus sit.*

CAPUT XI.

De affectionibus Magicarum actionum.

ISTa species Magicarum actionum potiores *fuerunt. Seqvuntur* attributa ac affectiones qvædam, *qvibus ulteriùs illæ ab intellectu spectatæ à posteriori determinari possunt. Tales sunt* innaturalitas, inartificialitas, horribilitas, indicatio vel animadversio earum, aversio & propulsatio, probatio Magorum & Sagarum, ab actibus divinis, naturalibus, aut humanis diversitas, & punitio ac extirpatio. Innaturalitas est, *qvà principium ex naturâ non habent, etsi qvibusdam, ut* Agrippæ *& similibus, habere videantur. Sed præternaturali principio nitantur, Sathanæ potestate, qvi hic supremus actorum motor & fotor est.* C. 3. t. 3. Inartificialitas *est, qvâ verè & propriè dictæ artis expertes sunt, etsi vulgò nigræ artis nomine appellentur.* V. C. 3. t. 4. 5. Horribilitas *est, qvâ verè ratione sui, & principij, Sathanæ, & modi, qvi sæpè perversus, fallax, impius, noxius, & effecti, & subjecti, Magi, horribiles homini esse debeant, etsi nefariis subjectis appetantur & exerceantur. Ferè enim horribilis interitus comitatur.*

2. Indicatio earum est, *qvà præsumptione aut animadversione aliqvâ à certis indiciis sumptâ animadverti & agnosci actus Magici debent, qvod Magici præcisè sint, non naturales, humani aut divini, sed ex Sathanico principio procedant.* Probatio Magorum est, *qvâ exteriore aliqvâ notâ ostenditur, hominem aliqvem commercii cum Sathanâ*

 reum

reum esse, & ex pacto cum eo operationes aliqvas edere. Diversitas est, *qvâ ab actibus humanis, divinis, & naturalibus distincti esse intelliguntur, & distinctio observatur ac traditur.* V.t.3.9. Punitio deniq; est, *qvâ pœna legitima pro ratione circumstantiarũ Magis pro actib. suis infligitur, & Magice ipsa extirpatur.* De his seqventia qværuntur. 1. Annon Magiæ naturalis & artis beneficio talia interdum perfici possint, qvæ Magicis actionibus similia sint, *eoq; illis annumerari qveant? Exempla enim qvædam supra adducta, qvibus id ostendatur. Vt de Opticâ transmutatione in varias figuras ad transmutationes Magicas,* C.6.t.6. C.7.t.21. *Ecstasi aut Caro naturali ad ecstasim Magicam,* C.4.t.5.seq. *processum est. Sic stellarum & navium progressus ad Magor. exportationem, Circulatorum celeritas ad illusionem, alia ad tonitrua, insecta, ligationes, Curationes, resuscitationes Magicas, similiaq; collata sunt,* C.4.t.14.19. C.7.8.9.&c.

3. Et similitudo ac analogia *hic aliqva est, non tamen plena identitas.* Naturalia *è natura consensione ac dissensione procedunt,* artificialia *ex naturalium contemperatione & justâ applicatione, modiq; procedendi & fundamenta consentiendi illis nota sunt, qvi operantur, etiamsi aspectantes aliosvè lateant.* Magica *interdùm nullam consensionem habent, sed merâ Sathanæ vi, placito, pacto, ad agendum pro voto Magi concurrentis perficiuntur, ut in morbis & curis Magicis: Interdùm totam naturæ aut artis vim superant, ut subita præsentium disparitio, longinqva in momento ad loca remota exportatio, aureorum ex digitis pulsatis excußio, & consensionum fundamenta Magis & Sagis sæpè, ut idiotis, ignota sunt.* Nec *naturalia aut verè artificialia in præsentem*

hominis

hominis pernitiem naturâ sui sunt intenta, sed pravo tantùm utentium usu. Magica autem ex Sathanæ & Magi intentatione plerumq; talia sunt. C. 3. t. 18. 19. C. 2. t. 5. *Plura* t. 9. 10.

4. 2. Annon inde Magica gratiam apud hominem sortiri qveant, qvòd bonorum Spirituum ope homo ad ea adduci, inq; illis informari qveat? *Ita qvidam Magorum Patroni, ut* Agrippa, *aliiq; hominibus persvadere volunt. Sed à nullo bono angelo ea esse,* C. 3. t. 4. *ostensum est, eoq; nec inde gratiosa homini fieri possunt.* 3. An ex veræ artis principio Magica procedant? *Non, ut* C. 2. t. 4. seq. *dictum.* 4. Qvâ notâ maximè adæqvatâ ac appropriatâ dignosci debeat, actum aliqvem Magicum, & Sathanico principio ac commercio productum esse? *Hic variæ sunt authorum sententiæ, &* qvædam *pro præsumptionibus,* qvædam *pro notis, tesseris, indiciis, alia pro aliis habentur.* Nota est, *si effectus naturam superet, cum causâ probabilem proportionem aut connexionem sufficientem non habeat, nec animadvertere eam liceat, à DEO aut Angelo bono esse præsumi non debeat, ridiculis ceremoniis, ritibus, signis, verbis, characteribus, signi Crucis detorsionibus, aliisq; sacris detortis, Dæmonum institutis nitatur, eaq; homo adhibere animadvertatur, cum sortilegis versetur, ad nuda verba ritus, signa, notabilis oblæsio, aliorum ad Magica deductio notetur, aliaq; qvæ pluribus & fusè* Delrius l. 5. Wierus l. 4. & 5. Bodinus l. 4. Dæm. Sprengerus p. 2. & 3. mall Gœdelman. l. 3. Binsfeldius in Cod. d. malef. leg. 9. Besoldus Thes. Pract. Voce Hexen/ aliiq; *persecuti sunt, unde materiæ plenius deducendæ, cum per reliqva hic deducta satis Tractatus excreverit.*

S. 5. Qvo-

§. 5. Qvomodo morbi malefici agnoscendi sint? *Difficilis hic agnitio, cum naturalibus morbis Dæmon se immiscere, multumq́ sub illis latere qveat. Medicorum hæsitatio, morbi improvisa invasio & accretio, naturalium causarum nulla aut difficilis observatio, Symptomatum inordinatio ac admirabilitas aliqvid hic facere possunt. Verbenam alii, plumbum liqvatum, aliavè adhibent, qvæ superstitionem alent.* V. Sennert. l. 6. Pract. p. 9. C. 6. Sprenger. p. 2. q. 1. C. 12. 6. Qvomodo præcavendi iidem, & homo ab illis præservandus? *Apud Gentiles varia superstitiosa hic adhibita, Rhamnus, Leontopodium, hyenæ Corium, lupi rostrum, hypericum, aliaq́, qvæ ap.* Tholosanum C. 22. Delrium l. 3. f. 7. 8. 9. Et l. 6. C. 2. Wierum l. 5. Beyerlingium Voc. Maleficium, p. 207. aliosq; *vide. Qvidam indusium inversum gerere præscribunt, ut* Paracelsus. V. Sennertum d. Chym. conf. C. 13. *Tutissima per devotas in DEUM preces, firmam in Christum fiduciam, accuratam Sagarum lamiarumq́ observantiam, ne cum illis versemur, eas lædamus, aliqvid ab illis postulemus, aut illis denegemus, piam vitæ institutionem, Christianam Sathanæ & mediorum ejus fugã, & similia media procedendi ratio erit. Sic Philippus Rex piâ fiduciâ imaginem ceream Magicè in sui interitum sacratam in ignem projecit, ipse diu postea feliciter supervixit.* Lercheim. C. 16. Conf. C. 3. t. 2. hujus Tract. *Pontificii & aqvam lustralem, cereos, crucem, reliqvias, missas, exorcismos, aliaq́ adhibent, qvæ percensentem* Beyerlingium c. l. Delrium l. 6. C. 2. *multisq́ adstruentem vide. Contra ea* Lercheimerus d. Zaub. C. 16. 18. Prætorius C. 9. Goedelman, l. 1. C. 6. Wierus l. 5. aliiq; *disputant. Multum*

allabo-

allaborat Delrius l. c. C. 3. *in defendendis illis.* Nos *abusus & superstitionem exesse hic jubemus, libertatem aliàs Ceremoniarum facilè admittimus, & peculiaria exorcisandi, ungendi, benedicendi dona temporaria in priscâ Apostolicâ Ecclesiâ, ut alia miraculosa dona agnoscimus, sed quæ nec in Ecclesiâ perpetuò retineri debuerunt, nec promissiones habent de perpetuâ duratione, ut* pleniùs *alibi docetur.*

6. 7. Qvomodo iidem avertendi & curandi? *Hic* partìm *Magicè proceditur, & â Magis ac Diabolo auxilium speratur ac petitur,* vel *Magus ad sanandum vi compellitur, aut persvadetur, ut post patebit, qvod apud Christianum totum illicitum est, qvi non cum Sathanâ colludere debet;* Vel *per verba, Characteres, & ritus Cura expeditur, qvod totum Magicum est, cum talium ad effectum naturalem nulla sit realis efficacia,* t. 8. *Et* C. 7. t. 11. Partìm *superstitiosè, idq́ & â gentilibus olim, & â multis Christianorum hodie, ut apud* Delrium & Beyerlingium c. l. Wierum c. l. aliosq; *videre est. Sic Viri maleficium mulier aliqva cereo priapo ad altare in missâ adpenso ridiculè curavit,* Wier. l. 5. C. 36. Paracelsus *indusium inversum commendat*, t. 5. *Qvod etiam Christiano illicitum, qvem religiosum esse convenit, non superstitiosum:* Partìm *Physicè, ut rutam, verbenam, hypericon, Vomitoria, evacuantia, qvæ* Plinius, Sennertus, Hildebrandus, aliiq; *habent:* Partìm Theologicè *& divinè, qvod maximè tutum, & Christianum decet, ut in præternaturalibus accidentibus, qvalia Magica sunt,* t. 3. *Etiam supernaturalia remedia adhibeantur, ut devotæ preces, publicæ privatæ, jejunia, seria pœnitentia, fructus eâ digni, studium sanctimoniæ, Vota DEO facienda, firma de auxilio DEI fiducia, Lu-*

dibriorum Sathanæ contemptus, superstitionum fuga, & similia. 8. An Magum accersere, inducere, commovere, aut rogare liceat, ut maleficium solvat? Lex Cod. d. malef. t. 18. Canonistæ *qvidam, & alii id permittunt. Sed rectiùs & hoc apud Christianum licitum esse negatur. Nam & hoc creaturam ac Sathanam Creatori ac DEO præponere erit, & preces Creatori debitas Sathanæ ejusq; Organo, Mago, mancipare. Qvod Christiano abominabile esse debet.* 9. An maleficii instrumenta inqvirere, abolere, aut concremare liceat? *Si sine superstitione, Diaboli scitu, consultu, consilio, rogatu, cullusionis Magicæ suspicione, ut cum Sagæ in potestate Iudicis constitutæ propria facta, ubi aliqvid occultaverint, revelant, id fiat, licet, sæpeq; ita ægros restitui constat.* C. 9. t. 16. *Si spe sanitatis, metu superstitionis, favore Magicæ collusionis, conspirationis aut agnitionis, vel Sathanæ consultu aut monitu fiat, non licet. Malum enim hoc, & speciem mali habet, â qvâ abstinendum,* 1. Tess. 5. v. 22. *Multum aliàs authores hic dissentiunt*, qvidam *ajunt, ut* Codronchius, Remigius, Delrius, qvi Hispanos, Gallos, Germanos, *aliosq; id sentire, nec se dissentientem legisse, ait,* qvidam *negant, ut ex* Papistis Hesselius, Estius, Ex Nostris Baldvinus, Sennertus, *& alii. Et ad prædictum modum tutiùs erit procedere.*

7. 10. An Magum vi cogere liceat ad maleficium solvendum? *Iterùm hic opinionum diversitas.* Remigius & Canonistæ *affirmant.* Sennertus, Baldvinus, & Theologi, aliiq; *negant. Et hoc rectiùs. Sathanæ enim auxilium, opera, & ministerium per Magum intercedit, & Saga per Sathanam curat, qvod Christiano illicitum, qvi omne*

auxi-

auxilium à DEO, Naturâ, & legitimâ arte exſpectare debet. 11. Qvomodo ligaminis maleficium præcavendum & amovendum? *Varia hic ridicula, ſuperſtitioſa, & impia interdum adhibentur. Sic apud Vogetios olim.* Remigius l. 3. C. 9. *Tutiſſimum, remediis naturalibus & ſpiritualibus ligaminis cauſas tollentibus*, V. C. 8. t. 8. 11. *hic procedere eſt.* 12. Qvomodo philtris obviandum? *Mediis naturalibus venena expellentib. & infringentibus, ubi calculum humanum contritum cum aqvâ naſturtii aqvatici hauſtum qvidam commendant*, V. Sennert. c. l. C. 9. aliosq;. *Aliisq; alterantib. & confortantib. ut & moralibus mediis, precib. votis, ſobrietate, &c.* V. Hildebrandum p. 222. Goëtiæ. 13. Qvomodo veneficiis ſpecialiter dictis ſive Magicis obſiſtendum? *Alexipharmacis appropriatis, & natura infecti ac temperamento ejus ſpecialiter convenientibus, aliisq;, qva Medici præſcribunt. Moralia etiam adjungenda, & pro ſucceſſu DEUS invocandus, ac id ab eo unicè ſperandum.* 14. Qvomodo faſcinatio infantis agnoſcenda & curanda ſit? Cardanus l. 2. d. ven. *varia ſigna proponit. Sed qvia pleraq; incerta ſunt, tutiùs à negatione indicii, & cauſa naturalis imbecillitatis alterius morbi in matre vel infante, veneni abſentiâ, & remediorum inutilitate ſignum deſumitur.* Cura *partìm ſuperſtitioſa eſt, ut apud gentiles & Chriſtianos*, V. t. 6. Et C. 8. t. 8. Partìm *vera, per media naturalia & moralia expedita, qva c. l. patent, & in Medicis diſcutiuntur.* 15. Qvomodo maleficium ſilentii in Magis, C. 9. t. 32. ſolvendum? *Qvidam aqvam frigidam, alii alia adhibent.* V. Delrium l. 5. ſ. 9. *Tutiſſimè per diligentem omnium inqviſitionem, pilorum abraſionem, maleficii, ſi*

qvod observetur, amotionem, torturæ moderatam continuationem, ac preces ad DEUM pro veritate eruendâ fusas proceditur.

8. 16. An curatio morborum per verba pro Magicâ haberi debeat? Vel *divina*, vel *Magica*, vel *fortuita est. Naturalis enim vis ista non est, & si qvid hic proficit, aut DEO adscribendum, aut pacto cum Sathanâ, ut in Magis, aut casui & imaginationi patientis, aut naturali morbi declinationi, aut aliis causis.* V. C. 9. t. 23. 24. *Magorum curatio divina non est. Qvare Magicam esse oportebit.* 17. Sagæ & Magi qvomodo probandi ac dignoscendi sint? *Varia hic probationum genera esse solent, qvorum* qvædam *superstitiosa, qvædam Magica, qvædam probabilia, qvædam fallacia, qvædam futilia, qvædam ambigua, qvædã deniq; certa sunt. Probabilia* t. 4. *adducta. Qvæ enim actum Magicum indicant, & Magum conseqventer manifestant. De cæteris ê seqventibus qvæstionibus patebit.* 18. An probatio Sagarum per aqvam frigidam justa, eoq; licita sit? *In inferiore Saxoniâ iste probandi modus valdè usitatus est, & licitus habetur, scriptoq; eum probant ac defendunt* Scribonius in Physiologiâ Sagarum, & Epistolâ ad Lemgovienses, Jacobus Rex l. 3. Dæm. C. 6. Alius qvidam JCtus Papista ap. Delrium l. 4. C. 4. q. 4. & q. 5. s. 2. *Et Nos olim* disp. d. Mag. act. t. 32. *præsumptionem inde oriri consensimus. Communiter tamen illicitus & vanus habetur, tàm Philosophis, qvàm Theologis & ICtis.* V. Wierum l. 6. C. 7. Delrium c. l. s. 1. 2. Gœdelman. l. 3. C. 5. n. 22. seq. *qvi multos ibi citat*, Bodinum l. 4. C. 4. Timplerum l. 3. Apsych. C. 2, q. 12. Neuwaldum & Euvigium c. Scribonium,

Bins-

Binsfeldium d. Conf. Mal. Concl. 7. q. 1. Prætorium & Scultetum d. Zauberey C. 11. Remigium l. 3. C. 9. *Nam nec naturali, morali, aut supernaturali aliqvo fundamento nititur, cum nec vis illa aut antipathia aqvæ ad Sagas naturalis sit, nec supernaturaliter ei à DEO indi probari poßit: Nec Sathanas propriè levis est, qvod Corporis est, non Spiritus, nam porcos Gergesenorum in mare præcipitavit,* Matt. 8. v. 32. *hic etiam gravis fuisset: Eoq; levitate sua Sagas super aqvas sustentare non potest, nec propriè ab eo Sagæ obsessæ dici possunt,* C. 4. t. 14. *Et verißimas Sagas sæpè ita colligatas aqvis immersas esse, non supernatasse, experientiâ constat, prout exempla* Gœdelman. c. l. n. 35. *adducit: Et in* Jure Canonico Caus. 2. q. 5. C. 7. & 20. *ac* Civili Lombardico, l. 2. t. 54. *talia probandi genera prohibita sunt, ut in usum reduci non debeant apud prudentes.*

9. 19. An justum Sagæ indicium, si in tormentis non lacrymetur? *Plerumq; non lacrymas Sagæ mittunt, & pro indicio id recensetur.* V. Bodinum l. 3. C. 4. Sprengerum, Grillandum, alios. *Causa* vel *pertinacia Diaboli inprimis instinctu in illis ut mancipiis suis conciliata esse potest, qvi qvovis modo obsistit, ne veritas prodatur:* Vel *stupor vehementißimus, qvi etiam in subitis malis lacrymas cohibere solet,* V. Camerar. C. 1. C. 29. Vel *membrorum torpor aut insensatio à Diabolo inducta, qvæ sensum inhibere solet, & ita dolorem non sentientes nec doloris signa, lacrymas, emittunt. Indicium tamen ad Sagam id sufficiens non est, cum & in aliis pertinacibus locum habere poßit. Sic pueros flagris citiùs interdùm discindas, qvàm lacrymulam ex illis elicias. Qvos se novisse* Delrius l. 5. s. 4. *ait.* *20.* An cætera probandi

genera qvibusdam usitata, ut per cribrum, ferrum candens, aqvam feruentem, duellum, hic adhibenda aut licita sint? *Non, DEUS enim talibus tentatur, & tàm innocentem prodere, qvàm nocentem tegere talia possunt.* 21. Qvomodo ab actibus divinis, naturalibus, artificialibus internoscenda & distinguenda Magica veniant? *Efficiendi ac agendi modo, effectorum proportione, formalitate, fine.* Divina *vera, solida, pia, honesta, gravia, decora, & ad bonum finem ordinata sunt.* Magica *sæpè præstigiatoria, ridicula, vana, impia, scurrilia, & ad pravos fines ordinata sunt, fraudes, impietates, homicidia, aliaq; procuranda & inferenda. &c.* Modus *agendi in divinis sincerus, gravis, mediis decoris, aut sine illis procedit. In Magicis falsus, mediis alienis & ridiculis, aut naturæ vi adhibitâ, & effectus ipse sæpiùs apparens tantùm est, non verus.* Conf. C. 9. t. 38. seq.

10. Naturalia *à Magicis qvid differant, ex* t. 3. 4. *haberi potest. Ibi Naturæ vi subditus est, Connexio causarũ & effectorum proportionata, nota, & legitima est, naturalia media adhibeantur, nulla allotria interspergantur: Hic omnia in contrarium.* Artificialia *differunt, qvòd ex arte verâ procedant, ab eâ regulentur, ad eam examinentur, & qvadrare reperiantur, totam Naturæ Sphæram non transcendant, & probabilem causæ cum effecto connexionem habeant, finemq; in se honestum, ac naturâ sui licitum obtineant.* Magica *omnia contrà sunt,* C. 2 t. 4. seq. *Et hoc* C. t. 4.

11. 22. An omnes Sagæ sine discrimine interficiendæ? Papistæ *nonnulli affirmant, ut* Frid. Martini de Jur. Cens. in appendice, Delrius l. 5. s. 16. *Ubi* Blancum, Carrerium, Grillandum, Covarruviam, Lopetz, Damhuderium, aliosq; *allegat,* Bodinus l. 4. C. 5. Remigius

l. 3.

l. 3. C. 12. Binsfeldius in Cod. d. Malef. leg. 5. q. 1. aliiq;. Ex Reformatis Perkinſus in Baſcanolog. p. 287. ſeq. *Sed rectiùs diſtinguetur. Sunt enim* qvædam *melancholicæ ac deliræ anus, quæ ſe Dæmonis fœderatas eſſe putant, cum non ſint, & qvarum capitibus Dæmon ad varias phantaſias abutitur,* C. 4. t. 15. *Qvæ commiſeratione & medicatione, non ſupplicio dignæ: Sunt* qvædam *deceptæ & fœderatæ, qvæ tamen nocumenta nulli intulerunt, qvæ corrigendæ & in melius convertendæ; Cum apoſtaſia earum magis Theologicum & Spirituale, qvàm Politicum & Civile peccatum ſit: Sunt* deniq; qvædam fœderatæ *& ſimul maleficæ, qvæ jure interficiendæ, tàm divino,* Exod. 22. v. 19. Lev. 20. v. 27. *Qvàm humano, eoq; &* Canonico. p. 2. cauſ. 26. *Et variis* Extravagantibus, & Civili, Codic. de Malef. & Mathem. *legibus variis. Et ſic qvoad hanc rem* Meiſnerus p. 3. Ph. ſob. ſ. 2. C. 6. q. 5. Thummius de Sagis, q. 8. Harprechtus T. 4. op. d. publ. Judic. ad leg. Corn. d. ſic. n. 305. ſeq. Vbi & Beſoldum, Kirchovium, Golhauſen, aliosq; *allegat, & rationes* Martini *diſſolvit, aliiq; rectè procedunt.*

12. *Multa aliàs circa proceſſus cum Sagis qværuntur. Vt,* an *in Magicis criminibus ordinarius proceſſus ac ordo ſervandus?* Qvomodo *in illis inqviſitio inſtituenda?* Qvænam *optima indicia ſint, qvibus tutò Iudex procedere poſſit?* Qvænam *minùs urgentia ac incerta Magiæ ſint indicia?* Teſtificationes *& probationes Magiæ qvales eſſe debeant?* An *ad teſtandum aliqvis cogi poſſit? Qvid in accuſatione Magi obſervandum?* An *& à capitali hoſte accuſari poſſit?* An *maleficos capere cuivis liceat?* An *& in templis capi, exq; illis extrahi poſſint?* Tortura *an & qvo ordine, modo, & ratione*

tione in eos adhibenda? Præsumptiones *& indicia ad torturam qvalia esse debeant?* Qvoties *torqveri possint?* An *Socius maleficum indicans indicium ad torturam faciat?* Spectra *immittentium pœna qvalis esse debeat?* Ariolorum & *divinantium qvalis pœna sit? Et qvæ similia sunt: Qvæ qvia magnam partem Iuridica sunt, &* ap. Gœdelmannnm l. 3. Tholosanum in Syntagmate l. 34. & libris de Republ. l. 13. Althusium C. 103. Dicæol. Delrium l. 5. & 6. Laimannum & Göhausen in processu c. Sagas, Niderum & Sprengerum in mal. malef. Fabrum & Binsfeldium in Codic. de malef. Wierum l. 6. Lercheimerum & Prætorium von Zauberey. Melandrum in peculiari Tractatu cont. Sagarum processum, Bodinum l. 4. Dæm. Bocerum, Mercerum, Bulengerum, aliosq;, *qvos* Besoldus Thes. Pract. *Voce* Hexen/ p. 408. *allegat*, Meyfartum in Erinnerung von Hexereŋ auszurotten / Harprechtum T. 4. d. publ. judiciis, aliosq; *discussa reperiuntur, Præsensq; Tractatus mole materiarum jam satis excrevit, hic ob prolixitatem omittenda sunt.*

CAPUT XII.

De Cognatis ac Oppositis Magicarum actionum.

I*Ta* attributa ac affectiones Magicarum actionum *fuerint, eoq; absolutè ea spectatæ sint. Deinceps* respectivè *ad cognata sua & opposita conferendæ erunt.* Cognata Magicorum actuum *omnes Circulatorum & agyrtarum actus, communes agendi modos superantes sunt,* C. 4. t. 19.

t. 19. *Omnes* Patroni & Studiosi Magicorum, *ea magnifacientes, excolentes, promoventes, exercentes, defendentes, excusantes, dilaudantes, Consilia, responsa, Curas, & auxilia Magorum & Sagarum expetentes & adhibentes, superstitiosi dierum discriminatores, qvales Saulus, Gnostici, Nero, aliiq.* V. C. 3. t. 11. 12. 13. *Catalogum eorum apud* Zuingerum Vol 5. l. 4. Beyerlingium Voce Magia, & alios *vide. Paracelsum in eodem ordine qvidam locant, ut* Sennertus de Chym. Conf. C. 4. & 13. Cornringius, & alii. *Sed qvem benè hic defendunt* Author Elucidarii in Theophr. non Theoph. Toxites in præf. Testam. Theoph. aliiqve. *Qvi &, qva* Oporinus in epist. *scripserit, de illis pœnituisse addit. Spiritus item familiares, qvos bonos esse, & utiliter ab homine haberi posse* Agrippa, Trithem. aliiq; *putant. Sed qvos tenebrarum Spiritus Magicis affines, & in hominus interitum intentos esse benè* Meisnerus p. 2. Ph. Sob. Wierus l. 1. C. 22. Samsonius Conc. 5. d. Hexen/ aliiq; *docent. Sic* Jacobus de Rotâ *Cortricensis, Spiritum in annulo alligatum gestabat, qvem subinde de rebus novis consulebat. Sed in exilium tandem pulsus est, annulum contundere, & libros Magicos publicè exurere coactus.* Wierus l. 6. C. 2. Socrates *genium familiarem habuit, â qvo semper instantis mali admonitus, & â periculo revocatus fuit.* Plutarchus l. d. gen. Socratis. *Basileæ cum Spiritum Scrinio inclusum liberi ex adib. in alias contra jussum Patris transtulerunt, uxor rabie correpta est, & maritus eam occidit, ipse Casu lapidis è superno cadentis ictus, & deformiter in facie percussus est, ut vix homo videretur.* Niderus C. 2. formicar.

2. *Iohanna Francica virgo Spiritum habuit, qvo multa mirabilia perfecit. Sed ab Anglis capta fuit, & pro*

meritis suis ignibus, ut Maga, publicè tandem exusta fuit. Idem C. 8. *Thasio cuidam* Aristoteles l. d. mir. auscult. *Eqviti Aqvitano* Froisardus in Chron. *Alteri cuidam* Bodinus l. 1. C. 2. *Sed qvem ut bonum genium describit, Alii, qvi à Spiritu variè infestatus, vellicatus, & percussus fuit, similem* Idem l. 2. C. 3. *tribuit. Cornelii Agrippæ canem talem fuisse pleriq; censent, etsi* Wierus l. 2. C. 5. *strenuè neget. Alius apud* Cæsarium l. 5. C. 30. *paredrum habuit, qvi pro mercede 5. solidos exegit, & in usum campanæ in templo impendere jussit. Comes aliqvis Spiritum familiarem habuit, cujus consilio in omnibus domi forisq; peragendis usus est.* Boisardus de Magia, C. 6. *Plerumq; paredri ita paciscuntur, ut exacto annorum numero aut alium herum prior reperiat, aut ipse Dæmoni necandus cedat.* V. Remig. l. 1. C. 9. Spectra item familiaria, *lares, munia domestica in domibus interdùm obeuntes, ut Koboldi & Gutalkeni Germanorum, Trulla Svecorum, Cottri Ruthenorum, Gobelins Gallorum, qvi omnes nil nisi dæmones, in fallacias hominum intenti sunt, ut benè* Delrius l. 2. q. 27. *docet, Item animæ demortuorum, qvas se esse fingunt, cum dæmones earum loco appareant,* C. 9. t. 43. *& similia.* Qvidam *pro Magicorum cognatis & Curationem vulnerum per obligata arma, ut* Gœdelman. l. 1. C. 8. n. 33. Bierman. d. Mag. act. t. 62. Keckerman. L. 1. Physſ. C. 9. Jac. Martini d. 1. d. cognit. sui, q. 9. Voetius in Thersit. heavtontim. ſ. 3. C. 3. Et p. 1. d. 48. t. 21. *Et cruentationem Cadaveris occisi ad Occisoris præsentiam, ut qvi fascini aliqvam speciem esse volunt, ap.* Kircherum l. 3. d. Magnete, par. 9. C. 2. *Et auri per Chymicam artem productionem habent, ut* Tostatus, Ægidius Romanus, Aponensis, *Item*

Astro-

Astrologicas & Genethliacas de futuris conjectationes ac prædictiones, ut Delrius l. 4. C. 3. q. 1. Samsonius Conc. 8. d. Sagis, Pererius l. 3. de Magia, C. 1. 2. aliiq;. *Sed omnium horum aliam esse rationem, &* vel *naturalibus causis,* vel *supernaturali cuidam dispositioni,* vel *peculiari arti & notitiæ assignandum esse alibi ostendetur. De aurificio* C. 7. t. 21. *qvædam dicta.*

3. Opposita Magicorum primaria & secundaria sunt. Primaria, *qvibus directè Magica evertuntur. Talia actus divini Magicis oppositi, extirpationes & remedia Magicorum sunt.* Actus divini *sunt, qvi ut vera solidaq; miracula, totius naturæ vim superantia, Sathanæ actionibus per Magos expeditis opponuntur. Vt cum Moses sua miracula præstigiis Magorum Ægyptiorum opposuit,* C. 1. *Apostoli ut Iohannes cum Cynope, Petrus cum Simone, Iacobus cum Hermogene Magis concertârunt, suaq; miracula illis opposuerunt,* V. C. 6. t. 22. *Macarius præstigias in juvenculâ eqvi forma apparente dissolvit, ut intuentibus iterùm homo appareret.* C. l. t. 7. *Sic Prophetæ & Apostoli realiter mortuos resuscitârunt. Dæmon fallaciter & apparenter Corpora ad tempus subiit ac commovit, ut resuscitata viderentur, cum reverâ non fuerint.* C. 9. t. 40. C. 11. t. 9. Extirpationes Magicorum sunt actus Judiciales, *qvibus authoritate Magistratus gladium non frustra gerentis, sed vindicis in iram malum agenti existentis, actus Magici evertuntur & impediuntur, authores eorum pœnis civilibus subjiciuntur, & sic impietas profligatur. Huc & remedia referri possunt, qvibus Morbi, incantationes, fascinationes, philtra, veneficia, ligamina Magica avertuntur & tolluntur, de qvibus* C. 11. t. 5. seq. *actum.*

4. Se-

4. Secundaria, qvib. conseqventer Magica impe diuntur aut evertuntur. *Talia odium Magiæ & Ma gorum, hostes & inimici eorum, seduliq; ac vigilantes Magi stratus sunt, omnesq; illi, qvi Magorum conatibus obsistunt Sic* Hippocrates l. d. morb. sac. *Magos detestatur.* Cato *monet, ne auguria consulantur.* Romani *Sagam in bell Marii adhibere noluerunt, & capitali supplicio affecerunt qvi furem Magicis artibus retexerant.* Filimerus *Gotho rum Rex Sagas omne è populo suo in Scythiæ solitudines expu lit. Idem Ludovicus Andegavensis, Patres sextæ Synodi Trullanæ, aliiq; fecerunt.* V. Zuingerum Vol. 5. l. 4. Beyerling. Voc. Magia, p. 15.

GLORIA IN EXCELSIS DEO.

ne-
Ma-
gi-
nt,
to
ello
nt,
ho-
ou-
odi
y-